Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0001-2

M. d. 22

oo a Ausg.

R

verbunden

2) = [Tbl fehlt]

Snel, Rudolf: Commentarius doctissimus in Dialecticam P. Rami.

Sigenae Phil. VI 1597.

2 f. 36.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0002-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0003-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0004-9

# QVÆSTIONES ET RESPONSIONES IN P. RAMI DIALECTICAM.

Auctore

D. *NATHANAELE BAXTERO COLCESTRENSI.*

ACCESSIT PRÆTER OMNIVM CATEGORIARVM ET Topicorum Tabulas P. Rami Index locupletiſſimus.

EDITIO TERTIA.



FRANCOFVRDI

*Apud Joannem Wechelum.*

MDXCIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0005-5

UNIV.- U. LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)
AB 46 18/k, 11
L 57.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0006-0

# ORNATISSIMIS VIRIS ET DOMINIS, D. CAROLO MORISINO, D. FVLCONI GRYVEL, ET Edouardo Nontague Armigeris, Dominis ſuis plurimum obſeruandis, Nathanael Baxterus Colceſtrenſis, gratiam & pacem in Chriſto precatur.

M*VLTOS, & Chriſti & Chriſtianorum hoſtes, multa in me conuitia coniicientes, clauſis oculis, per multū tempus, prudens præteriui, & æquo animo (generoſiſsimi Domini) quemadmodū par eſt, pertuli; ſemper illud Chriſti ſeruatoris dictum, conſcientiæ meæ (tantis hominum calumniis tunc temporis depreſſæ) accommodans. Beati enim, inquit, eritis, quum vos oderint homines, & ſeparauerint vos, & conuitiati fuerint vobis, & nomen veſtrum vt malum eiecerint propter filium hominis. Hoc ego (hoc inquam) fretus ſolamine, linguam meam, (alioquin fortaſsis ſua natura futilem, nimis garrulam, & a-*

*cerbam) ad tam atrociſſima ſycophantarum maledicta, vt nihil, imo ne γρῦ quidem, responderet, compeſcere conabar. Et in eo ipſo ſi quid peccauerim, faba (vt aiunt vulgo) in protoſophon illum Regium philoſophum Solomonem (cui in hac parte auſcultauerim) non in me cudatur. At dum hæc omnia ſilentio ſepelire contendo, ecce noui, & ex fidelium numero, aduerſarii quam acerbiſſime mihi aduerſantur; inter quos, multos non contemnendi nominis, recenſere cogor. Deus bone, tantus ego homuncio anguſtiis & miſeriis vndique laceſſitus, quo me vertam plane ſum inſcius. Si enim ad ſiniſtram digrediar, protinus infenſiſſimorum hoſtium inſidiis, irretitus mordicus deprehendor, & in fruſta dilaceror: ſi vero ad dextram confugiam, à plurimis & ſynceriſſimis Chriſtianis, qui me nomine tenus tantum nôrunt, & cum quibus nihil vnquam commercii iniui, ſaltem de quibus nihil vnquam mali ſum meritus, vt improbus, laſciuus, proteruus, ac impius reiicior, ſpernor ac penitus repudior. Hinc eo eſt deuentum, vt non immerito conqueri poſſim: O me miſerum, quis me liberabit: hinc multi, mihi quidē ante hac familiariſſimi, qui noſtræ modeſtiæ ac integritatis fiducia freti, & de noſtra, tum in docendo, dexteritate, tum bene viuendo puritate, non ſolum ipſi optime ſenſerunt, verumetiam cæteris, exemplar & pietatis ſpecimen ſunt polliciti: nunc*

tantis

*tantis aduerſariorum vociferationibus perterriti à me tempus deficiunt. An quod me peßimi alicuius delicti inſimulare queant ? minime quidem : an quod hæreſin, ſiue in Theologia tractanda errorem nobis inurere poßint ? minime gentium. Sed,*

Diſcite voſque viri, rerumque cernite cauſas.

*Hinc lacrymæ, hinc tempeſtatis origo. Quidam me nouitatis de rebus in eccleſia conſtitutis inſimulant, quibus quid reſpondeam, in promptu habeo, ne ſine ratione, inſanire videar. Alii dum quorundam imperitorum loquacitate oblectati, optimorum prædicatorum artificioſam & perſpicuam methodum ſuccinctamque breuitatem, aut ſpernunt aut ſane faſtidiunt, me (abſit dictis oſtentatio) cum cæteris valere iubent. alii vero, qui nihil præter aurum aut ſpirant aut reſpiciunt, quum me alieno ære, ob graues & adhuc indeciſas lites laborare cernunt, repente proſiliunt, & me iniquum, ſimulatorem, hypocritam, ganeonem, & perfidum, ſceleratumque apoſtatam eſſe clamitant. Hi tamen (quum ſint πρόσκαιροι, temporanei, & eatenus Chriſtiani, quatenus ex Chriſti profeßione, opes ſibi & ſuis coaceruare poßint) inter Chriſtianißimos & pietatis ardore theologos præſtantes haberi volunt. Quibus calumniis, ſi iuſtam hanc, æquißimamque defenſionem non opponerem, perinde eſſet ac ſi quibuſcunque conuitiis me proſtituerem, ac proinde quaſi o-*

*mnium ſcelerum reum, me omnium exponerem ludibrio. Si quid igitur, aut aſperius ſit dictum quam æquum eſſet, aut acerbius quam ipſi velint: id animæ noſtræ anxietati, minime autem temeritati, tributum referant. Mens enim tantis fracta probris, vt intra integritatis limites ipſam ſe conſeruet, non facile ſit. Ne tamen in immenſum volumen creſcant hæ noſtræ literæ; noſtrum qualecunque reſponſum, primo, priores illi impoſtores (qui religionem ipſam, ac omnis religionis cultores ſine cauſa, vt inquit Propheta Pſalm. vigeſimoquinto, odio habent) capiant; non conuitiis refertum, quod ſane quidem, & eorum pſeudonaturæ & linguarum futilitati optime quadraret, ſed vere & ingenue (ita me Deus bene amet) ſine fuco & hypocriſi, eorum proteruiæ & mentium peruicaciæ oppoſitum. Sciant igitur hi ſycophantæ tam nihili eorum maledicta me pendere, vt tanta facilitate antehac à me deiecerim, quanta acerbitate in me coniecerint: & tam forti animo, diuina prouidentia, in præſenti me eſſe præditum, vt eorum calumnias, veluti crucem à Deo mihi iniectam ſalua conſcientia, ſufferre decreuerim. Pergant iccirco maledicere, vt qui nunquam benedicere didicerunt. Hoc tamen eorum conſcientiis denuntio, ſemel fore, vt huius facti, triumphanti iudici Chriſto, ra-*

ſto, rationem ſint reddituri. Interim vero, hippomanes, virus, maledicta, probra denique vniverſa veluti Cerberus, conſpuant, coniiciant, euomant, ac contra nos blaterare ne deſiſtant. Quod autem ad vos attinet ornatiſsimi viri, ceteroſque fideles quibus noſtra probitas ſuſpecta redditur, in Chriſto Ieſu poſco, oro precor, vt meam vocationem, locum, vices quas ſuſcepi, pericula ac labores, quos pro tuenda ipſa veritate ſubiui, Euangelii doctrinam, quam publice propoſui, quam fortiter denique ac ſtrenue pro virili, ipſam aduerſus publicos & priuatos atheos, Papiſtas, Ieſuitas, hæreticos, impoſtores, & falſos fratres illibatam conſeruaui, ſedulo etiam atque etiam expendere ne dedignemini. E quibus diligenter perpenſis, me longe alium eſſe, quam fama mendax, & omnium ſuſurrorum mater perquam falſiſsime de me prædicat, plane perſpicietis. Age vero: Quid ſi hæc omnia vobis non ſatisfaciant, quippe qui, maiorem incuſatoribus (ſuas fabulas ſub religionis prætextu effutientibus) quam mihi vni, multa de meipſo, ac mei ſolius nominis protegendi cauſa obiicienti, fidem habeatis? Reſpondeo: Si hæc vobis non ſint plenè ſatisfactura, ſaltem tamen, ad Dei tribunal coram Deo & Angelis, vt plane agatis, cur mihi per vos, non ſuperſedere licet, ſunt vos citatura. Si etenim omnibus

*indifferenter fidem habeatis; quid reſtat quin omnium hominum fæcibus & quiſquiliis, patulas illas aures veſtras præbeatis? Probandi certi eſſent prius illi calumniatores, cuiuſcunque fuerint generis, quam aduerſus Ieſu Chriſti miniſtrum incuſatorium locum ſuſciperent. Videatur de illorum fama, religione, conſtantia, & morum integritate, priuſquam aduerſus presbyterum quaſi teſtes, admittantur. Et quamuis multi ſint probi nominis, & externo more, probe inter homines ſe gerant, & inde non minimam gloriolam auide captent: hi tamen, nullam (ſaltem ſinceram) inter ſe colunt religionem: plane ſunt athei, totius Chriſtianiſmi & diuini cultus expertes. Alii ad tempus religioſi ſunt, ſed Protei, inconſtantes, & vafritie pleni, qui ſemper talem Deum amplectuntur, qualem ex cerebro vacillanti, ſibi pro tempore comminiſcuntur; & eandem ſemper religionem tenent, quam magiſtratus vel regni proceres & optimates regio diplomate ſint propoſituri. Horum fides nulla eſt, quia intra humanas metas tantummodo continetur, & vltra homines conſcendere nequeat, ab illorum tantum nutu pendet: Si aiunt, ait; ſi negent, negat. Temporibus Edouardi beatæ memoriæ, nuper regis Angliæ, Papam repudiabant, & iuramento, ſe illis ſemper fore inuiſum, manibus pedibuſque contendebant. Marianis*

*rianis lethalibus & triſtiſsimis annis, iſti boni viri, Papam, quia ſic voluit Regina, ſumma cum reuerentia & humilitate excipiebant: prius iuramentum quaſi deteſtandum & execrabile quiddam abominabantur; & ſecundo iuramento manuſq; ſubſcriptione, ſe ſemper Papæ eſſe in poſterum addictiſſimos, illique dum vixerint eſſe obtemperaturos, confirmarunt. Nunc vero quum Papam diuina prouidẽtia profligatum, & Euangelium ſtabilitum cernunt, quoniam ſic vult Regina, longe aliud, contra ſecundum iuramentum, obnixe & bona fide (vt aiunt) nobis obtrudere conantur, nempe nunc iam tandem, ſe ſtabiles in hac fide, quaſi ſtellas fixas & immobiles (ſi Deo placeat) eſſe permanſuros. Sed credat qui volet. Nonne enim hic monſtro ſimilem biſrontem, imo trifrontem, Ianum Romanum illum cacodæmonem ſe repræſentare, veriſsime oſtendunt? Quæ fides illorum aut verbis aut iuramentis eſt adhibenda? annon aliud in ore, aliud in pectore clauſum gerunt? Quid de hypocritis queruntur, quum ipſe ſanè, omnium omnibus calculis explodendi ſunt ſimulatores peſsimi? Illine Dei nomen ſacroſanctum inuocare & adhibere ſunt auſi, quum nullam fidem (quandoquidem vna eſt fides) veram, ſolidam, aut Chriſtianam amplectantur? Age dum, vela ventis relaxemus:*

Quis furor? quę tanta homines demẽtia ludit?

*Vt presbyterum horum ſycophantarum cauſa, aut ſuſpectum habere, aut quod magis eſt, peſſundare velint? Summis igitur precibus à vobis (generoſiſſimi Domini) peto, vt meo nomini pro veſtra charitate, parcatis, dum me talem eſſe, qualem hi conuitiantur, perſpectum habeatis. Quam petitionem tanto facilius, me ſpero impetraturum, quanto propenſius vos nomen religioni dare, pacem Chriſtianam deſidiis ac controuerſiis præponere, Chriſtum, ac Chriſtianiſmum ex animis amplecti, lites denique ipſas, præſertim in Eccleſia ortas vel orituras, componere & ſedare nobis omnibus videanimi. Satis ſane ſuperque, ſumus nos inter nos digladiati. Heu! quid nobis eſt cordi fratrem conuitiis dilacerare? Annon pientiſſimorum hominum numerus nobis notus, eſt perquam exiguus? Quorſum alius in alium inuehitur? Cur non vnanimes illud Poetæ concinimus:*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes?

*Vtinam, o! vtinam nunc tandem ſaperent Phryges, & Epimenideum ſomnum diſcuterent homines. Nobiſipſis & faſtui noſtro, nimis pueriliter indulgemus: fratres noſtros odio proſequimur, proſternimus: ac à nobis ad Garamantas vſque ablegamus, profligamus, repellimus: Nos vero interim, quaſi in Capitolina arce quadam exultantes,*

tantes, cœlum & terram ſecure conſpicientes, ſuauiter in vtramque aurem obdormiſcimus. O ſtratagema Chriſtianis digniſſimum! O ſapientia glorioſa, ſed re vera non magno æſtimanda; commiſeratione dignior quam inſectatione. Aliam, aliam igitur dum dies eſt, vitam agamus: nox enim appropinquat, quum nemo operari poteſt. Ne criminationes, vel ex rumoribus tantum conceptas, vel ex atra bile & cholera conflatas, fratribus (quo magis omnibus, illos inuiſos reddamus) impingamus. Eſt enim Deus, qui & videt, & in tempore vindicabit. Recordamini (præſtantiſſ. domini fratresque in Chriſto colendiſſ.) ne vnius quidem noſtrûm, anteactam vitam, tam eſſe inculpatam, in qua nihil iuſte reprehendi poteſt. Fateor ingenue, me plurimum peccaſſe & in Deum & in homines. Gemitibus tamen & ſuſpiriis peccata coram Deo agnoui, & in Chriſto ſum miſericordiam conſequutus. Quid mihi pueritiam exprobrent homines? me puerum, puerilia multa commiſiſſe non inficior, quum idipſum Apoſtolus ſe feciſſe teſtatur. At charitatis eſſet multitudinem peccatorum operire. Operæprecium eſſet, mutuam inter nos charitatem, quæ non eſt ſuſpicioſa, fouere, quam odii ac inimicitiarum faces accendere, & ſycophantis, quiduis mali de fratribus noſtris effutientibus, bibulas noſtras aures præbere. Vos

*igitur (ornatiſsimi Domini) per Deum obteſtor, vt impoſtores omnes, ac deteſtandam illorum intemperiem rabiemque, ſumma opera cohibere & frænare ſitis parati, qui clanculum, ſua fictitia falſiſsimaque commenta de me, aliisque fratribus aut ſpargunt, aut etiam ſpargere adnitentur: qui Diabolum (ſuum niſi reſipiſcant patrem) mendacem ab initio, ex pede in pedem, ſummo ſtudio inſectantur imitanturque: quibus nihil magis eſt gratum, quam miniſtros verbi Dei inter ſe diſsidere, ac tandem in nihilum redigi. Et ego viciſsim vobis in Domino ſancte polliceor, ornatiſs. viri, me omnes neruos fore tenſurum, nec vllo modo commiſſurum, quin vitam illam agam, Euangelicæ profeſſioni conſonam, veſtris expectationibus reſponſoriam, & noſtræ vocationi conſentaneam. Quod vt ſemel contingat, quoniam ad tantum præſtandum opus, longe ſumus impares, rogo vt me precibus veſtris aſsiduis apud Deum iuuare pergatis, ſicut ego etiam pro veſtra in Chriſto pace, ac Religionis incremento humilime precor. Et hæc hactenus. Nunc quaſdam rationes, veſtra pace (eruditi domini) breuiter attingam, tum de his Quæſtionibus Dialecticis, in lucem editis, tum etiam de iiſdem ſub veſtris nominibus, contra putidos ſophiſtas dimicantibus. Rationem mirum in modum eſſe corruptam, quis lippus non agnoſcit,*

*agnoſcen-*

*agnoſcendo obſcuritatem non deflet, & deflendo de remedio non cogitat? Nemo ſapiens, ingenioſus, doctus. Illud ipſum fatebantur Philoſophi, Socrates, Plato, Ariſtoteles: teſtantur Rhetores, Demoſthenes, Iſocrates, Cicero; dicunt Poetæ, Euripides, Menander, Plautus: ſcribunt, clamant, concludunt Theologi, Prophetæ, Euangeliſtæ, Apoſtoli, Doctores antiqui, neoterici. Protoplaſtus enim ille præuaricando ſeipſum & ſuam rationem liberam, ingenuam & perſpicacem amiſit. Hanc* Διάνοιαν *tantis* ἀγνοίας *miſeriis immerſam, videbimus & tacebimus? abſit. Reſtat ergo, vt remedium inueſtigando acquiramus: & ne forte fruſtra laborare videamur, miſertus eſt noſtri pater Deus miſericors, & Dialecticam ſauciatis mentibus noſtris veluti remedium, quo ratio, ſi non in integrum reſtituatur, valde tamen acuatur, reficiatur & adiuuetur, conſtituit. Quod vt præſtaret, Platonem & Ariſtotelem ſummos & præſtantiſsimos tunc temporis philoſophos excitauit, qui Dialecticam & diſſerendi rationem (quantum per tempus licuit) docuerunt, obſcure fateor plurima, ſed multa vere. Aliis etiam illuſtriſsimis vſus eſt Deus organis ad hoc opus perficiendum, quorum vel nomina, vel opera recenſere, nec fert occaſio, nec multum ad propoſitum facit. Nunc tandem, quum Porphyrij Scoti, Iauelli, Dunſi, &c. prædicabilibus diſtinctio-*

*nibus, verbis nihil ſignificantibus, prædicamentis, poſtprædicamentis, tautologiis & falſis poſitionibus Dialectica ita cœpit obſcurari, vt penitus vel nulla, vel ſemimortua videretur: idem cœleſtis pater, veluti Mercurium quendam in hoc ſeculum miſit P. Ramum Veromanduum, Regium mathematicum, philoſophum inſignem, & martyrem celeberrimum. Hic nullis laboribus, vigiliis, ſtudiis vel lectionibus pepercit, vt hanc ſanctiſsimam omnium artium matrem: tantis tricis inuolutam & cœno inquinatam, extricaret, purgaret, & in priſtinum gradum reſtitueret. Huius inclyti philoſophi Dialecticam (quam multi nunc dierum faſtidiunt, quia non intelligunt) ad maiorem eiuſdem perſpicuitatem, in* Quæſtiones & Reſponſa, *mentem auctoris & optimorum interpretum ſententiam ſemper ſequutus, diſpoſui, ipſamq; in mediis miſeriarum flammis, & turbarum incendio conſcriptã, veſtris nominibus (ornatiſs. viri) inſcripſi: rogans, vt ſi forte verboſus oggāniat Moros, vel calcitret Zoilus, vel fremat, ſuccenſeat & inuideat Homeromaſtix (cui facilius eſt aliena opera reprehendere, quam vel emendare, vel præſtantiora efficere) vos clypeos & ſcuta veſtra obtendentes, ipſam ad veſtrum præſidium & patrocinium confugientem, defendere, tueri & conſeruare velitis. Bene valete ſplendidiſsimi Domini: Dominus*

*minus Ieſus potenti ſuo Spiritu nobis omnibus adſit, ſuam pacem ſtabiliat, controuerſias abigat, & bonarum literarum ſtudioſis omnibus, magis ac magis benedicat. Londini Aprilis viceſimo primo, anno à virgineo partu,* 1585.

A. V. addictiſſimus

NATH. BAXTERVS.

# DE DIALECTICÆ VSV IVDICIVM CICE-ronis in Bruto.

SIc enim, inquam, Brute, exiſtimo, Iuris ciuilis magnum vſum & apud Scæuolam & apud multos fuiſſe: artem in hoc uno: quod nunquam effeciſſet ipſius iuris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem, quæ doceret rem vniuerſam tribuere in partes, latentem explicare definiēdo, obſcuram explanare interpretando, ambigua primū videre, deinde diſtinguere, poſtremo habere regulam, qua vera & falſa iudicarentur, & quæ quib propoſitis eſſent, quǣque non eſſent conſequentia. Hic enim attulit hanc artem omniū artiū maximā, quaſi lucem, ad ea quæ confuſe ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris dicere inquit. Recte, inquam, intelligis, &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0020-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0021-3

# TABVLA ANALYTICA TOTIVS DIALECTICES.

Litera A.
Pag. 1.

- In Dialectica conſideranda ſunt duo
  - Præcepta quorũ partes duæ
    - Inuentio Argumentorum. argumentum eſt
      - Artificiale quod eſt
        - Primũ quod eſt
          - Simplex, quod eſt vel
            - Conſentaneum vel
              - Abſolutè vt
                - Cauſa.
                - Effectus.
              - Modo quodam vt
                - Subiectum.
                - Adiunctum.
            - Diſſentaneũ quod eſt vel
              - Diuerſum.
              - Oppoſitum quod eſt vel
                - Diſparatum.
                - Contrarium.
          - Comparatum vel Quantitatis, quæ eſt vel
            - Par
            - Impar quæ eſt
              - Maiorum.
              - Minorum.
        - Ortum à primis
          - Nomen
            - Coniugata.
            - Notatio.
          - Diſtributio
            - Totum, pars, partitio.
            - Genus, ſpecies, diuiſio
          - Definitio.
      - Inartificiale quod eſt Teſtimonium.
    - Iudiciũ quod eſt
      - Axiomaticũ in Enuntiato in quo cõſiderandæ
        - 1. Partes
          - Antecedens.
          - Conſequens.
        - 2.
          - Affectiones hîc vide Enuntiatum.
            - 1. Affirmatum vel negatum, vnde cõtradictio.
            - 2.
              - Verum
                - Contingens, opinio.
                - Neceſſarium, ſcientia.
              - Falſum & impoſſibile.
          - Species
            - Simplex
              - Generale.
              - Speciale.
            - Compoſitum
              - Copulatum.
              - Connexum.
              - Diſcretum.
              - Diſiunctum.
      - Dianoëticũ in
        - Syllogiſmo, in quo vide
          - Partes
            - Antecedens.
            - Conſequens.
          - Affectio κρύψις.
          - Species
            - Simplex.
            - Compoſitus.
        - Methodo, quæ eſt vel
          - Perfecta, cuius perfecta lex à generalibus ad ſpecialia.
          - Imperfecta κρυπτική
            - Mutila.
            - Redundans.
            - Inuerſa.
  - Vſus in
    - Analyſi.
    - Geneſi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0023-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0024-0

TA
M

go

So
eſt
ſim
fall
ſtin
ver

# TABVLA CAPTIONVM OMNIVM EX VTRAQVE DIALECTICES PARTE, INVENTIONE NIMIRVM & Iudicio, & quomodo omnibus earum fallacijs occurritur, breuis & quaſi Methodus quædam & compendioſa.

Per D. NATHANAELEM BAXTERVM, Colceſtrenſem.

- Sophiſtica eſt ſapientia ſimulata ad fallendũ deſtinata, eaque verſatur, vel
  - Circa dictionem quando ſcilicet captio latet in verbis, eaq; eſt circa dictiones vel
    - Simplices, cuiuſmodi captiones ſunt numero 3.
      - 1. Inſolentia dictionis, eaque eſt quando aliquadictio obſoleta & inuſitata in diſſerendo adhibetur ad concludendum. Vt Homo eſt bonus, Platanus eſt Homo, ergo Platanus eſt bonus. Huic captioni reſpondendum eſt, dicendo: Hoc verbum non intelligo, vt iubet Ariſt. 2. Topic. cap. 4.
      - 2. Homonymia, quando vnum idémque verbum plures habet ſignificationes, eſtq́. in
        - Rebus, vt Homo viuit: pictus homo eſt Homo, ergo pictus homo viuit.
        - Verbis, vt Canis animal, & Canis ſtella.

        Vt, Carmina Paulus emit, recitat ſua Carmina Paulus. Hic verbum (Sua) vel ad eum qui emit, vel qui facit, poteſt referri. Hûc referendi ſunt dictionum accentus, vt: Mala fugienda ſunt: Poma ſunt mala, ergo Poma ſunt fugienda: Malum pro peſſimo primam habet breuem, pro fructu vero longam.
      - 3. Metaphora, vt Quicquid bibit, habet os: Pratum bibit, ergo Pratum habet os. Gemmæ ſunt lapides precioſi: in Palmitibus ſunt gemmæ, ergo in Palmitibus ſunt lapides precioſi. Huic captioni reſpondendum eſt, Hoc verbum (Gemmæ) in palmitibus Metaphoricè capitur.
    - Coniunctis, quæ captiones ſunt 2.
      - 1. Amphibologia, eſt ambiguitas orationis, non è verborum multiplici ſignificatione, ſed è Syntaxi orationis deducta: vt, Aio te Æäcida Romanos vincere poſſe. Huc pertinet compoſitio & diuiſio Orationum aut ſententiarum. Nam ex varia & multiplici ſententiarum compoſitione & diuiſione, oriuntur captiones Sophiſticæ, vt: Quinquaginta virûm centum liquit Achilles. Ego te feci ſeruum liberum. Quæ quis videt, id videt: Socrates lapidem videt, ergo lapis videt: Quemcunq; poſſibile eſt dormire fieri poteſt vt dormiat: vigilantem poſſibile eſt dormire, ergo fieri poteſt vt vigilans dormiat. Quicunque bonus eſt, bonus eſt: Malus Artifex bonus eſt, ergo Malus Artifex bonus eſt. Duo & tria ſunt paria & imparia: Duo & tria ſunt Quinque, ergo Quinque ſunt paria & imparia. Hæc captio eſt diuiſionis, reliqua præcedentia ſunt compoſitionis. Captioni Amphibologiæ occurrendum eſt 1. diſtinguendo ipſam rationem in duos ſenſus, quorum alterum eſſe verum, alterum eſſe falſum docere oportet: vel 2. coniungendo eas propoſitiones, quæ contra naturalem rationis vſum erant diuiſæ: vel 3. diuidendo eas quæ falsò & captioſè erant adiunctæ.
      - 2. Expoſitio eſt quando Argumenta in Axiomatibus, Syllogiſmo & Methodo non rectè exponuntur; vt ſi vocabula habitus, & eius qui habitum habet exponantur, hoc modo: Nulla ægritudo poteſt eſſe Sanitas: Homo eſt æger, ergo non poteſt eſſe Sanus. Huic reſpondendum eſt, corrigendo deteriorem illam expoſitionem meliori & notiori.
  - Extra dictionem & tales captiones ſunt, vel
    - Communes totius Dialecticæ quales ſunt 2.
      - 1. Petitio principij, eſtque quoties idem aut minus notum aut æque cognitum in diſſerendo petitur, vt: Quod mouet ſeipſum eſt immortale: Anima mouet ſeipſam, ergò Anima eſt immortalis: Anima enim & Mouere ſeipſum eſt idem. Si dies eſt: dies eſt: At eſt dies, ergo dies eſt. Idem etiam diuerſis verbis poteſt repeti, vt: Vita innocens & pura beatum facit: At operari bene eſt innocenter viuere: ergo Bene operari beatum facit. Hîc benè operari & innocens eſſe ſunt idem, Exemplum minus Noti: vt Sacrificandum eſt pro mortuis, quia Purgatorium eſt. Sic petere principium nihil eſt aliud, quàm aliquid, per id quod probandum eſt, oſtendere. Huic Captioni reſpondendum eſt: Nihil ad rem.
      - 2. Redundantia quæ conſiſtunt, aut in
        - 1. Heterogeneis, quæ ſunt diuerſi Generis. Huius Captionis vſus in docendis artibus potiùs quàm in diſſerendo cernitur, tunc enim manifeſtè falſum eſt Argumentum, cui reſpondendum eſt per remotionem omnium, omnia enim Heterogenea remouenda ſunt, tum à diſſerendo, tum à docendo.
        - 2. Tautologia eſt quoties idem ſæpius iteratur, aliquando obſcuriùs, aliquando apertiùs: Obſcurius, vt: Duplum dimedij Ariſt. Elench. lib. 1. cap. 3. & 4. Idem enim eſt ac ſi dixiſſet; dimedium dimedij: Apertiùs, vt Scientia eſt Medicina ſalubrium Animali & homini. 6. Topicor. cap. 2. Id autẽ fit quoties generale quiddam per ſpecies iteratur Sophiſticè: vt Ariſt. 1. Poſte. cap. 5. Atque hæc fallacia opponitur legi ſapientiæ καθόλου πρῶτον.
    - Propriæ, eius partium,
      - Inuentionis cuius Generale eſt Argumentum quod eſt, vel
        - Artificiale quod eſt vel
          - Primum, & eſt
            - Simplex quod eſt
              - Conſentaneum & eſt, aut
                - Abſolutè vt ſunt 2.
                  - 1. Cauſa, quæ fallacia eſt quoties falſa aut apparens cauſa pro vera & naturali cauſa ponitur & diſſerendo vſurpatur, vt Æſchines eſt improbus Rhetor, ergo Rhetorica eſt mala. Ebrietas eſt mala, ergo vinum eſt malum. Hîc non cauſa ponitur pro cauſa, nam vinum non eſt cauſa Ebrietatis, ſed abuſus vini. Huic reſpondendum eſt per negationem conſecutionis, & explicationem veræ & naturalis cauſæ.
                  - 2. Effectum, quando falſa effecta pro veris ſumuntur: vt Heliogabalus erat optimus imperator, quia præclarè ſe geſſit. Hîc falſa effecta ponuntur pro veris. Erat enim Heliogabalus mala beſtia Romæ.
                - Modo quodam 2.
                  - 1. Subiectum, eſt quando Subiectum vnius artis proprium in aliena arte explicatur. Vt ſi quis Dialecticam explicaturus loquatur de literis & de ſyllabis quæ ſunt ſubiecta circa quæ Grammatica verſatur.
                  - 2. Adiunctum. Cum aliquid Attributo, adiuncto & ſubiecto ſimiliter conuenire probatur. Vt. Homo multum differt à ſe ipſo: Ariſtoteles eſt Homo, ergo Ariſtoteles multum differt à ſeipſo. Huc etiam referuntur omnes fallaciæ ex conſequenti, vt: Mel flauum eſt: ergo Quicquid flauum eſt, Mel eſt: Huic captioni reſpondendum eſt explicando, quòd idem ſubiecto & attributo poteſt conuenire, ſed diuerſo reſpectu: Itaque ſemper neganda eſt conſecutio, niſi ſit Syllogiſmus ſimplex aut compoſitus & rectè diſpoſitus.
              - Diſſentaneum. Hæc fallacia præcipuè ab oppoſitis oritur, quando oppoſita ſunt Subiecta, vt Albedo eſt Color: ergo Nigredo non eſt Color. Prodigalitas nõ eſt virtus, ergo Auaritia eſt virtus. Huc referuntur Captiones de plurib. interrogationibus pro vna, vt Quæro num hic & ille Homo eſt? ergo qui verberat hunc & illum, hominem verberat, non homines. Hic cauendum ne multiplici quæſtioni vnum adhibemus reſponſum: cum quot ſint quæſtiones, totidem eſſent reſponſiones.
            - Comparatum, huic captioni à comparatis, referuntur omnes illæ captiones quæ pertinent ad figuram dictionis, quia in dictionibus eſt quædam ſimilitudo vel Quantitatis vel Qualitatis: vt, Quod emiſti, id comediſti: Crudum emiſti, ergo Crudum comediſti. Homo eſt duarum ſyllabarum, Maximilianus eſt Homo: ergo Maximilianus eſt duarum ſyllabarum. In his Captioſè concluditur, quoniam eadem quantitas non tenetur & qualitates iuxta definitionem Quantitatis & Qualitatis.
          - Ortū à primo
            - Coniugata. Captiones omnes quæ ſunt à Coniugatis, ſunt Communes, nullæ autem huius Argumenti propriæ. Itaque cognita definitione Coniugatorum, Elenchi facile apparebunt.
            - Ex Notatione, nulla eſt propria Captio, ratio eſt, quia hæc Argumenta orta ſunt à primis, quorum ante Elenchos habuimus.
            - Diſtributio. Elenchi diſtributionis ſunt quoties res quæ indigeat diſtributione, non tamen diſtribuatur: vel etſi diſtribuatur, falsò tamen. Id autem fit quoties aliquid in diſtributione, vel deſit, vel redundet, vel minus vſitatum ſit: Huc etiam referendi ſunt omnes Elenchi ab eo quod eſt ſecundum quid, ad id quod eſt ſimpliciter, id eſt, cum aliquis ex parte concludere conetur totum, nempe vel ex membro integrum, vel ex ſpecie genus. Vt albus eſt dentibus: ergo albus eſt. Mortui ſunt miſeri: ergo Mortui ſunt. Eſt bonus Citharœdus, ergo bonus.
            - Definitio. Elenchi definitionis, ſunt quoties res abſque definitione explicantur, vel ſi definiantur falsò tamen, vt cum aliquid vel deſit vel redundet, vel obſoletum ſit, nec ei proprium. Igitur addenda ſunt quæ deſunt, amputanda quæ ſuperſunt, corrigenda omnia quę aut Methodo vitioſa, aut parùm accommodatè ad rerum naturas explicandas vſurpantur:
        - Inartificiale, quod eſt teſtimonium, quia nihil per ſe arguit, ſed totam vim ſuam ab artificioſis Argumentis mutuatur, & nominatim ex adiunctis: nullam iccirco parere poteſt captionem, etſi multum valet ad perſuadendum & commouendum animos auditorum in captioſa dictione: eoque firmior eſt talis captio quo eſt clarior, teſtantur authoritas & integritas.
      - Iudicij, quod eſt, vel
        - Axiomaticum, eſt huius Elenchus, ipſa ignoratio eius Axiomatis, quod ad diſputandum propoſitum eſt: quem Elenchum appellat Ariſtoteles Ignorationem ſecundum negationem: Quæ Negatione eſt repellendum, idque ſimpliciter quia ſimplicis eſt ſententiæ. Elenchus Axiomatis Affirmati & negati, eſt quoties Affirmatione pro negatione & contra accipitur. Huc igitur referendi ſunt Elenchi modificatorum propoſitionum, ſi ex ſtatuimus illa axiomata modificata negantia eſſe, quæ ſolo modo negantur. Vt Hominem Currere eſt Contingens Hominem Currere non eſt Contingens. Elenchus ſimplicis axiomatis eſt quoties generale pro ſpeciali ponitur & contra. Omnes Artium regulæ generaliter ſumuntur. Elenchus Compoſiti, eſt quoties Compoſitum pro ſimplici ponitur vel contrà. Elenchus igitur in compoſito Axiomate committitur, quoties expoſitio ſit non eiuſdem, non ſecundum idem non eodem modo, non eodem tempore. Huic fallaciæ reſpondendum eſt, diſtinguendo ea quæ eadem dicuntur.
        - Dianoëticum quod eſt
          - Syllogiſmus cuius captiones ſunt
            - Communes, cuius generis ſunt 2.
              - Primi quoties Syllogiſmus in aliqua ſpecie efficitur ex omnibus propoſitionibus ſpecialibus, vt: Imperator ſummus eſt deligendus ad bellum: Pompeius eſt ſummus Imperator: ergo Pompeius eſt deligendus ad bellum.
              - Secundi generis, quoties Syllogiſmus efficitur ex omnibus propoſitionibus negatis, vt: Nullus equus eſt Capax Rationis: Nullus homo eſt Equus: ergo Nullus homo eſt capax Rationis.
            - Propriæ ſcilicet Syllogiſmorum
              - Simplicium qui duplex eſt
                - Contractus, paralogiſmus autem huius eſt, quando Aſſumptio eſt Negata: vt, Omne Animal irrationale ſentit. Nullum animal irrationale eſt homo, ergo Quidam Homo ſentit.
                - Explicatus eſtq́. duplex Speciei, vel
                  - Primæ cuius paralogiſmus efficitur duobus modis
                    - 1. Omnium partium affirmatione, vt Quod honeſtum eſt laudatur: Liberalitas laudatur: ergo Liberalitas eſt honeſta.
                    - 2. Speciali propoſitione, vt: Quidam philoſophus contempſit ſuperbiam: Nulli nunc dierum contemnunt ſuperbiam: ergo Nulli nunc dierum ſunt Philoſophi.
                  - Secundæ cuius paralogiſmus eſt duobus modis, è
                    - Propoſitione particulari: vt, Quidam philoſophus veneno eſt extinctus: Ariſtoteles erat Philoſophus, ergo Ariſtoteles veneno eſt extinctus.
                    - Aſſumptione negata: vt Homo eſt animal: Equus non eſt Homo, ergo Equus non eſt animal.
              - Compoſitorum duplex Syllogiſmus,
                - Connexus cuius paral. eſt modi
                  - Primi, cuius fallacia eſt quoties tollitur antecedens, vt tollatur conſequens: vt, Si Ariſtoteles Philoſophus ſit, præſtantiſſimus eſt: at non eſt præſtantiſſimus: non eſt igitur Philoſophus.
                  - Secundi, cuius paralogiſmus eſt, cum aſſumitur conſequens vt concludatur antecedens, vt Si Ariſtoteles ſit Philoſophus, eſt præſtantior Ramo: at verum eſt conſequens, ergo verum eſt antecedens.
                - Disiunctus cuius fallacia oritur ex negatione vnius partis, vt: Aut poſſunt duo, aut vnus non poteſt: atqui vnus non poteſt, ergo nec duo poſſunt: Huc refertur Elenchus ex negatione copulationis, ſi tollitur vnum, vt alterum retineas, vt Homo non & Leo eſt & equus. at non eſt equus, ergo eſt Leo.
          - Methodus, de qua vide Rami Dialecticam de Methodo
            - Perfecta,
            - Imperfecta,

Hac tamen Captionũ Tabula benè perpenſa, facilè omnis ἀταξία & fallaciæ deprehendentur.

*FINIS.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0026-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0027-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0028-3

# D. NATHANAELIS BAXTERI COLCESTRENSIS QVÆSTIONES ET REſPONSA IN PETRI RAMI DIALECTICAM.

*Quæſtio.*

QVis eſt author Dialectices?

*Reſp.* Deus, qui rationem omnibus numeris abſolutam effecit.

*Quæſt.* Quid eſt Dialectica?

*Reſp.* Eſt Ars bene diſſerendi. Ramus.

*Quæſt.* Quare dicis eſſe Artem?

*Reſp.* Quia eſt comprehenſio præceptorum in rebus æternis, propriorum & ordine diſpoſitorum ad vtilem vitæ finem ſpectantium. Talæus in Ramum.

*Quæſt.* Quid eſt Ars?

*Reſp.* τέχνη ἐστιν ἕξις ποιητικὴ μετὰ λόγου ἀληθοῦς. Ars eſt habitus faciendi cum ratione vera. Ariſt.

*Quæſt.* Cur addis Bene in definitione?

*Reſp.* Quia in omni arte eſt aliquod ſummum bonum, quemadmodum tradit Ariſt. 1. Top. cap. 2. quando præſtatur quod artis viribus continetur.

*Quæſt.* Quotuplex eſt vſus Dialectices?

*Reſp.* Triplex ex Ariſt. 1. Top. 2. Valet enim ad exercitationes, Colloquia, Philoſophiam. Ego verò Dichotomian ſeruans duplicem eſſe logices vſum dico, videlicet famulari vel ad { Entia / Non entia, & ad { Theorian / Praxin } omnium Artium.

*Quæſt.* Quot conſiderantur in Logica?

*Reſp.* Duo. { Præcepta. / Vſus.

*Quæſt.* Quid neceſſariò requiritur in præceptis?

*Reſp.* Tria neceſſariò requiruntur, vt

præcepta ſint { omnino vera. / Homogenea & non aliena. / vniuerſaliter prima.

Vel ſec. Ariſt. { κατὰ παντὸς / καθ' αὑτὸ, } { de omni / per ſe.

lib. 1. poſt. cap. 4. καθόλου πρῶτα. vniuerſaliter prima, ſed de his plura in Dialecticæ ſecunda parte.

*Quæſt.* De vſu verò Logicæ hoc vnum exponas precor, Quid in eo ſit conſiderandum?

*Reſp.* Et hoc breuiter faciam, quia in ſecunda Logicæ parte generali, maior & diſſerendi & expendendi de his rebus occurret materia. Vſus ergo (verbo eſt) in { Analyſi. / Geneſi.

*Quæſt.* Quænam eſt propria Dialecticæ materia?

*Reſp.* Argumentum.

*Quæſt.* Quæ forma?

*Reſp.* Argumenta diſponere.

*Quæſt.* At Dialectica non habet certam materiam? Sueton.

*Reſp.* Verum eſt, Dialecticam non habere certam materiam, circa quam verſatur: ſed falſum eſt, Dialecticam non habere certam vel propriam materiam ex qua conficitur.

*Quæſt.* Quomodo Artes (vti nunc ſunt) ita perfectè definiri, & in ſuas partes diuidi cœperunt?

*Reſp.* ἐμπειρία, ἱστορία, αἴσθησις καὶ ἐπαγωγή. Experientia, obſeruatione, ſenſu & inductione. Ariſtoteles 1. poſt. 14. & Phil. lib. 1. cap. 1.

*Ficta exempla Cornificij ridicula. Exempla ab Oratoribus vel poëtis petita ſummoperè conducunt ad Logicam edi-ſcendam.*

*Quæſt.* At tritum eſt in ſcholis, veritatem in exemplis non requiri, quorſum tu Ramiſta, & tuæ factionis cæteri, totum Logicæ inſtrumentum, vel omnes rationes exemplis (quaſi in illis eſſet perquirenda veritas) confirmas?

*Reſp.* Ridiculum eſt illud abſurdiſſimorum hominũ commentum. Quomodo enim ficta & falſa exempla quadrare & conue-

conuenire poſſint Ariſtotelis legibus experientiæ & obſeruantiæ,&c.

*Quæſt*. At Logicæ ſcholæ, poëtica & rhetorica exempla adeò parui faciunt, vt prorſus ſuis diſputationibus exterminant.

*Reſp*. Pernicioſam artificioſæ exercitationi calamitatem & cladem attulerunt illi Sophiſtæ. Socrates enim execrabatur illum qui vtilitatem ab honeſtate ſeparauit. Talæus.

*Quæſt*. Quot ſunt partes Dialecticæ?

*Reſp* Duæ.

*Quæſt*. Quæ ſunt?

*Reſp*. Inuentio, Iudicium, Græcè { εὑρετική. κριτική.

*Quæſt*. Quos habet hæc partitio Authores?

*Reſp*. Stoicos, & Adraſtum Ariſt. interpretem, imò Ariſt. ipſe in toto organῶn hanc probat, quamuis diſtinctè non proſequatur, item Cicero, Melanchthon.

*Quæſt*. At Iudicium non eſt Dialecticæ pars peculiaris, ergo vitioſa eſt partitio. Iudicium enim eſt commune totius artis adiunctum vel accidens.

*Reſp*. Stoici per Iudicium (per Metonymian effecti) intellexerunt diſpoſitionem. Iudicium enim, i. intelligentia explicationis, ex Argumentorum diſpoſitione naſcitur, quo diſpoſitionis verbo, loco Iudicij, vtantur illi quibus verbum Iudicij diſplicet.

*Quæſt*. Ariſt. diuidit propoſitionem in Dialecticam, id eſt, Rationem argumentandi ex contingentibus ſeu probabilibus, & apodicticam, id eſt, Demonſtratiuam ex neceſſarijs?

*Reſp*. Ariſt. artem Dialectices non partitur in has particulas, ſed propoſitionem diuidit in has ſpecies. Analyt. 1.

*Quæſt*. Quid eſt Inuentio?

*Reſp*. Eſt pars Dialecticæ de inueniendis argumentis.

*Quæſt*. Argumentum quid?

*Reſp*. Quod ad aliquid arguendum effectum eſt.

*Quæſt*. Circa quam materiam verſatur argumentum?

*Reſp*. Circa quæſtionem.

*Quæſt*. Vnde oritur Quæſtio?

*Reſp*. Ex Axiomate dubio.

*Quæſt*. Quotuplex eſt Quæſtio?

*Reſp*. Duplex, aut ſimplex aut coniuncta.

*De quæſtione vide Rodolphum lib. 2. ca. 7. fol. 88.*

Simplex qua quæritur de re ſimplici ſeu vnica, & tunc Argumentũ commodiùs poteſt dici declaratio. Coniuncta qua quæritur de rerum duarum inter ſe coniunctione. Et tunc Argumentum dicitur demonſtratio.

*Quæſt.* Quid intelligis per coniunctionis vocabulum?

*Reſp.* Affirmationem vel negationem.

*Quæſt.* Videris ſubobſcurè loqui, loquere planius.

*Reſp.* In ſimplici quæſtione ita quæritur de rei natura, vt ad hanc non poteſt reſponderi ita vel non. Vt ſi quæratur quid ſit virtus, quid philoſophia, non poteſt reſponderi ita vel non, ſed declaratione opus eſt.

In coniuncta quæſtione, poteſt reſponderi ita vel non, vt ſi quæratur: Num iuſtitia ſit virtus, reſponderi poteſt ita. Si vero, num fortitudo ſit vitium: reſpondetur Non.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Argumentum?

*Reſp.* Duplex, inſitum, aſſumptum, Cicero in Partitionibus oratorijs.

*Quæſt.* Quare non diuidis Argumentum in Argumentum
- Artificiale.
- Inartificiale.

*Rhet. Ariſt.* Quemadmodum ſic diuidit Ariſt. necnon Ramus.

*Reſp.* Propter poſterioris membri falſitatem. Teſtimonium enim quod ſub inartificialis nomine continetur, non minus artificiale eſt quàm cætera argumenta quæ Ramus appellat artificialia. Non enim maioris eſt Artis cogitare quænam ſit cauſa quod ſubiectum &c. quàm excogitare quonam teſtimonio inuentum confirmaretur. Commodioribus ergo verbis (meo iudicio) ſum vſus tum ad quæſtionis naturam diſcutiendam, tum aſſumptis teſtimonijs veritatem confirmandam.

*Quæſt.* Audiamus ergo argumentum quomodo abs te diuidatur?

*Reſ.* Arg. eſt vel
- Inſitũ vel
  - Primũ vel
    - Simplex
      - Cõſentaneum
        - Abſolute vt
          - Cauſa.
          - Effectũ.
        - Modo quodam.
      - Diſſentaneum.
    - Comparatum.
  - A primo ortum.
- Aſſumptum tantùm, teſtimonium.

*Quæſt.*

*Quæſt.* Quid eſt Argumentum inſitum?

*Reſp.* Eſt quod in ipſa quæſtione quaſi inſitum eſt ac inhæret.

*Quæſt.* Quid eſt Argumentum Artificiale ſecundum Ramum?

*Reſp.* Quod ex ſeſe arguit.

*Quæſt.* Quid eſt Argumentum primum?

*Reſp.* Quod eſt ſuæ originis.

*Quæſt.* Quare diuidis Argumentum in primum & à primo ortum?

*Reſp.* Cauſa, Effectus, Subiectum, Adiunctum, Diſſentaneum, Comparatum, ſunt veluti primi fontes à quibus cætera Argumenta originem traxerunt. Et quemadmodum Grammatici diuidunt ſua nomina in primitiua & deriuatiua, ſic Dialectici ſua Argumenta inſita in prima, & à primis orta partiuntur.

*Quæſt.* Quænam illa ſunt Argumenta quæ à primis oriuntur?

*Reſp.* Nomen, Diſtributio, Definitio.

*Quæſt.* Quid eſt Argumentum ſimplex?

*Reſp.* Quod eſt ſimplicis & abſolutæ conſiderationis, quod neque par, neque impar, neque ſimile, neque diſſimile conſideretur. Et vt planiùs loquar: Simplex Argumentum abſolutè conſideratur hîc reſpectu comparati, alioquin nullum argumentum abſolutè conſideratur, quia non poteſt conſiderari ſine eo quod arguitur. Vt cauſa non pôteſt intelligi ſine Effectis: & hîc dicitur reſpectu comparati: quia ſimplex Argumentum comparatur tantùm cum eo de quo eſt quæſtio: Comparatum autem etiam cum re alia extra quæſtionem poſita.

*Quæſt.* Quare aliud conſentaneum abſolutè, aliud modo quodam dicis?

*Reſp.* Quia ſic Ariſt. diſtinguit lib. 1. cap. 7. poſteriorum Analyticorum.

*Quæſt.* Quid eſt Argumentum conſentaneum?

*Reſp.* Quod conſentit cum re quam arguit, ita vt altero affirmato etiam alterum ſit affirmandum, etiamque altero negato, alterum quoque negandum, vel { Neceſſariò. / Probabiliter.

*Quæſt.* Quot ſunt in Logica Categoriæ vel loca Logicæ Inuentionis?

*Reſp.* Decem. Cauſa, Effectus, Subiectum, Adiunctum, Diſſentaneum, Comparatum, Nomen, Diſtributio, Definitio, Teſtimonium.

*Quæſt.* Cur tu nihil agis de quinque prædicabilibus, de quibus tam fusè Porphyrius, nempe de Genere, Specie, Proprio, Differentia & Accidente?

*Reſp.* Quia partim ſub Adiunctis & Subiecto continentur, ſicut multæ Ariſtotelis Categoriæ, partim quia nunc de Categorijs generaliſſimis mihi dicendum propoſui.

*Quæſt.* Quid eſt cauſa?

*Reſp.* Cauſa, eſt cuius vi res fit vel eſt.

*Quæſt.* Cur dicis, fit vel eſt, & non ſimpliciter, eſt?

*Ariſt.* *Reſp.* Quia cauſæ aliæ ſunt τῆς ὀυσίας eſſentiæ, vt materia & forma: aliæ τῆς γενέσεως Generationis, vt Efficiens & finis.

*Quæſt.* Cur cauſas primo loco ponis?

*Reſp.* Quia cauſa fons eſt omnis ſcientiæ. Ariſt. 1. Poſt. cap. 2. meritò ergò à poëtis canitur:

*Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.*

Et neceſſe eſt vt hæ cauſæ ſemper ſint re priores. Ariſt. ibidem.

*Quæſt.* Quot modis dicitur aliquid eſſe prius?

*Reſp.* Quinque, Ariſt. in Categorijs { Tempore, Natura, Ordine, Dignitate, Cauſa } Et hæ notæ conueniunt cauſæ.

*Quæſt.* Vbi tractantur cauſæ ab Ariſt.?

*Reſp.* Præcipue 2. Poſt. cap. 11. 12. 13. 17. & in Phyſicorum duobus lib. primis.

*Quæſt.* Quot ſunt genera cauſarum?

*Reſp.* Duo. Cauſa enim eſt vel { Externa. Interna. }

*Quæſt.* Quid eſt externa cauſa?

*Reſp.* Quæ extra effectum manet vt { Efficiens. Finis. }

*Quæſt.*

*Quæſt.* Quid eſt interna cauſa?

*Reſp.* Quæ effectum ingreditur vt { Materia. / Forma.

*Quæſt.* Sunt igitur tantum hæc 4. cauſæ, efficiens, Materia, forma, finis?

*Reſp.* Sanè quidem, ſunt quatuor ſecundum Ariſt. Ego verò Dichotomian ſequutus in hæc duo genera cauſarum contraxi.

*Quæſt.* Quid eſt efficiens cauſa?

*Reſp* Cauſa à qua res fit.

*Quæſt.* Quotuplex eſt efficiens cauſa?

*Reſp.* Triplex, eſt enim primò vel { Generans. / Corrumpens.

*Quæſt.* Quid eſt cauſa efficiens generans?

*Reſp.* Quæ facit vt res ſit.

*Quæſt.* Quotuplex eſt generans cauſa?

*Reſp.* Duplex, vel { Procreans, / Conſeruans.

*Quæſt.* Quid eſt procreans cauſa?

*Reſp.* Quæ facit vt res, quæ ante non fuit, poſtea ſit, vt Deus creauit mundum. Noë extruxit arcam. ſic otium eſt cauſa procreans multorum malorum iuxta illud poëtæ,

*Otia ſi tollas periêre cupidinis arcus,*
*Contemptæq; iacent & ſine luce faces.*

*Quæſt.* Quid eſt conſeruans cauſa?

*Reſp.* Eſt cauſa quæ facit vt res quæ iam ſit, porrò ſit: vt Deus conſeruat Noachum in diluuio. Sic Poëta 4. Æneidos.

— *Hyrcanæq; admorunt vbera Tygres.*

vbi veluti cauſa conſeruans, ponuntur Tygres quaſi nutrices.

*Quæſt.* Quid eſt cauſa corrumpens?

*Reſp.* Eſt quæ facit vt res quæ antea erat, poſtea non ſit.

*Quæſt.* Quotuplex eſt iſta cauſa?

*Reſp.* Duplex, eſt enim vel { Abolens, / Labefactans.

*Quæſt*. Quid eſt Abolens cauſa?

*Reſp* Eſt cauſa quæ facit vt res quæ iam eſt, poſtea omnino non ſit: vt Mors animal interimens. Ignis domum concremans.

*Quæſt*. Quid eſt cauſa Labefactans?

*Reſp*. Eſt cauſa quæ facit vt res quæ iam ſit, poſtea modo quodam non ſit, ſed amittat aliquam ſuæ perfectionis partem. vt peccatum in homine imaginem Dei deleuit. Animam quoad ſuas qualitates corrupit, non tamen penitùs extinxit.

*Quæſt*. Dixiſti cauſam efficientem tripliciter diuidi. Diuiſionem tuam proſequere. Quòd vt magis expeditum fiat; reſponde: Quænam eſt ſecunda cauſa efficiens?

*Reſp*. Primam cauſæ efficientis differentiam methodicè conſcriptam & exemplis confirmatam vidiſti. Nunc ſecundam aggrediar, quam ſic accipito.

Efficiens cauſa ſecunda eſt, vel { Solitaria. / Socia.

*Quæſt*. Quid eſt Solitaria cauſa?

*Reſp*. Quæ ſola rem efficit. Sic Deus ſolus mundum condidit. Sic Niſus in ſe transfert ab Euryalo culpam & pœnam. 9. Æneid.

*Me me: Adſum qui feci: in me conuertite ferrum,*
*O Rutili: mea fraus omnis: nihil iſte nec auſus,*
*Nec potuit.* ——

Sic Mundanæ felicitatis ſolam cauſam pecuniam facit Poëta Horat.

*Scilicet vxorem cum dote fidemq́; & amicos,*
*Et genus, & formam Regina pecunia donat.*
*Et bene nummatum decorat ſuadela Venusq́;.*

*Quæſt*. Quid eſt Socia cauſa?

*Reſp*. Quæ non ſola, ſed vnà cum alijs rem efficit. Sic Martialis lib. 10. multas efficientes cauſas beatæ vitæ non ſolitarias ſed ſocias colligit.

*Vitam quæ faciunt beatiorem,*
*Iucundiſsime Martialis hæc ſunt.*
*Res non parta labore ſed relicta,*
*Non ingratus ager, focus perennis,*

*Lis nunquam: toga rara, mens quieta,*
*Vires ingenuæ, ſalubre corpus*
*Prudens ſimplicitas, pares amici,*
*Conuictus facilis, ſine arte menſa.*
*Nox non ebria: ſed ſoluta curis:*
*Non triſtis thorus, attamen pudicus:*
*Somnus qui facit breues tenebras,*
*Quod ſis eſſe velis, nihilq; malis,*
*Summum nec metuas diem nec optes.*

*Quæſt.* Quotuplex eſt ſocia cauſa?

*Reſp.* Duplex, vel { Principalis. / Inſtrumentalis. }

*Quæſt.* Quid eſt principalis cauſa ſocia?

*Reſp.* Eſt cauſa quæ inſtrumentalem in efficiendo regit & gubernat, vt faber principalis cauſa quæ enſem efficit, quamuis alijs vtitur inſtrumentis.

*Quæſt.* Quid eſt cauſa inſtrumentalis?

*Reſp.* Eſt quâ vtitur principalis ad rem efficiendam.

*Quæſt.* Quotuplex eſt hæc cauſa?

*Reſp.* Duplex, eſt enim { vel { Otioſa ſeu / Quieta. } / vel { Adjuuans ſeu / Miniſtra. } }

*Quæſt.* Quænam eſt quieta cauſa?

*Reſp.* Quæ ſeipſam non mouet, ſed tantum mouetur à principali, ſic ſecuris ſecat trabem, ſcalpellum, calamum, Aratrum glebas vel terram.

*Quæſt.* Quænam eſt Adiuuans vel cauſa miniſtra.

*Reſp.* Quæ ita à principali mouetur, vt interim ipſa ſeipſam moueat. Huiuſmodi ſunt Animantia inſtrumenta, vt Bos, equus &c. jumenta. Sic Bos arat, equus trahit vel vehit, ſic Deus, verbi vtitur miniſtris ad ſuam gloriam propagandam.

*Quæſt.* Quænam eſt tertia efficientis cauſæ diſtinctio?

*Reſp.* Tertiò, Efficiens cauſa eſt per ſe vel per Accidens.

Per ſe, eſt cauſa quæ ſua facultate efficit.

Per Accidens, quæ aliena vel externa facultate efficit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0037-3

*Quæſt.* Quot ſunt ſpecies tertiæ cauſæ efficientis differentiæ?

*Reſp.* Duæ
- Internæ
  - Natura
  - Mens.
- Externæ
  - Neceſſitas
  - Fortuna.
  - Hanc Chriſtiani prouidentiam vocant.

*Quæſt.* Vbi de his Ariſtoteles?

*Reſp.* Libro tertio Ethicorum.

*Quæſt.* Egiſti de efficiente cauſa, jam de ſecunda externa cauſa, nempe de fine agendum reſtat. Dic ergo quid ſit finis?

*Reſp.* Finis eſt cauſa cuius gratia res eſt. Ariſt. 2. Poſt. cap. 11. & hinc naſcitur illud Axioma 1. Poſt. cap. 2. Propter quod eſt vnumquodque tale, illud magis.

*Quæſt.* Quis eſt finis Phyſicis rebus?

*Reſp.* Homo. Ariſt. 2. Phyſ. cap. 2.

*Quæſt.* Quis homini finis?

*Reſp.* Deus. Plato lib. 7. de Republica.

*Quæſt.* Quotuplex eſt finis

*Reſp.* Duplex, vel
- Summus.
- Subordinatus.

*Quæſt.* Quid eſt ſummus finis?

*Reſp.* Quem efficiens propter ipſummet deſiderat: vt finis hominis pij eſt glorificare Deum.

*Quæſt.* Quotuplex eſt ſummus finis?

*Reſp.* Duplex: aut
- Vniuerſalis.
- Specialis.

*Quæſt.* Quid eſt vniuerſalis?

*Reſp.* Ad quem omnes omnino totius vniuerſi res tendunt: is eſt ſummum bonum. Ariſt. 1. Ethic. cap. 1.

*Quæſt.* Quid eſt ſpecialis finis ſummus?

*Reſp.* Ad quem vnaquæque res in ſuo genere tendit: vt Ædificantis finis eſt domus. Belli finis eſt victoria. Summum ignis bonum eſt, eſſe maxime calidum & ſiccum. Aquæ eſſe humidam & frigidam. Rodolphus lib. 1. cap. 15.

*Quæſt.* Quid eſt ſubordinatus finis?

*Reſp.*

# CAVSARVM TABVLA ANALYTICA.

Litera A.
Fol. 19.
* * *

- Cauſa eſt cuius vi aliquid fit vel eſt, eaq; eſt vel
  - Externa quę extra effectū manet, eaq; eſt, vel
    - Efficiens à qua res fit.
      - Prima quæ eſt, vel
        - Generans, quæ eſt, vel
          - Procreans, vt parentes procreant filium.
          - Conſeruans, vt nutrix conſeruat fœtum.
        - Corrumpens, eáq; vel
          - Abolens, ſic Deus diluuio totum genus humanum deleuit.
          - Labefactans, ſic ἄγνοια hominis intellectum labefactauit, ita vt ſine arte ea quæ Logica ſunt percipere non poſſit.
      - Secunda quæ eſt, vel
        - Solitaria.
        - Socia, eáq; vel
          - Principalis.
          - Inſtrumentalis quæ eſt, vel
            - Otioſa vel quieta, vt Inſtrumenta inanimata quæ efficientis vi mouentur & reguntur: vt Securis, Malleus, Aratrum.
            - Adiuuans vel Miniſtra, vt Animalia quæ ita reguntur ab efficiente, vt interim ipſa ſuas vires exerceant, vt Equus, Bos, arant.
      - Tertia.
        - Per ſe, Internè
          - Natura.
          - Mens.
        - Per Accidens, Externè
          - Neceſſitas.
          - Fortuna.
    - Finis cuius gratia res eſt. quę duplex eſt, vel
      - Summa quæ eſt
        - Vniuerſalis.
        - Particularis.
      - Subordinata.
  - Interna quæ effectū ingreditur, eáque eſt, vel
    - Materia ex qua res fit, eaque
      - Propria ex quâ aliquid fit: vt, Homo è puluere terræ, Mulier ex viri coſta. Et hæc propria materia eſt, vel
        - Prima, eſt ſubiectum ex quo corpus naturale generatur primum, & in quod corrumpitur vltimum. Velcur. lib. 1. Phyſ. cap. 14 Rodolph. Hęc materia imaginatione tantum eſt perceptibilis. vt Chaos.
        - Secunda, quæ eſt res corporea naturalis, ſenſu exteriore perceptibilis ex qua fit corpus naturale, vt ex ſemine, carne, cute, &c. Animal eſt compoſitū quoad corpus.
      - Impropria,
        - In qua quæ cōmodiùs appellatur ſubiectum. Nam in ſubiecto adiuncta inhęrēt. vt in mēte ſcientia vel ignorantia.
        - Circa quam, quæ cauſa meliùs nominatur obiectum. Sic obiectum mentis eſt ſcientia, quia mens verſatur circa ſcientiam.
    - Forma per quā res eſt id quod eſt: eáque vel
      - Subſtantialis eaque
        - Prima quæ ſemper ſequitur primam materiam vniuerſaliter.
        - Secunda, quæ eſt particularis: vt, Anima rationalis eſt forma Hominis, eaque eſt vel
          - Ingenerabilis & Incorruptibilis. — Vt cæli & corpora cæleſtia.
          - Generabilis. Corruptibilis. — Vt Elemēta miſta corpora &c.
      - Accidentalis vt figura corporis, arboris &c. eáq; vel
        - Naturalis vt figura corporis humani Arboris &c.
        - Artificialis vt figura gladij, Domus, &c.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0040-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0041-4

*Reſp.* Quem efficiens non propter ipſummet, ſed propter ſummum finem expetit. Sic diſcimus literas vt conſequamur doctrinam, ſed doctrinam expetimus propter aliud: alij vt reipub. proſint, alij vt ingenium vel elegantiam oſtentent, & inde nominis ſui gloriam adipiſcantur.

*Quæſt.* Quodnam eſt de finibus Axioma?

*Reſp.* Vt finis magis expetatur, quam ea quæ ad finem faciunt ac deſtinantur. Ariſt. 3. Top. cap. 1.

*Quæſt.* Poſsúntne in re eadem plures ineſſe fines?

*Reſp.* Poſſunt: Alius enim eſt finis operis: alius operantis: alius iubentis. Res tamen eadem. Sic ædificationis quidem, quòd ad rem ipſam attinet finis eſt domus, Ædificantis verò, ſtipendium: Iubentis autem vt habitet, vel donet, vel vendat. Rodolphus lib. 1. cap. 15.

*Quæſt.* Pergamus jam ad internas cauſas, vbi in primis videatur de Materia, deinde de forma. Quid ergo eſt Materia?

*Reſp.* Materia eſt cauſa ex qua res eſt. Ariſt. 2. Phyſic. cap. 3: Vnde illud etiam Ariſt. Si res ſit, materiam eſſe neceſſe eſt. 2. Poſt. 12.

*Quæſt.* Quodnam eſt diſcrimen inter Logicam materiam & Phyſicam?

*Reſp.* Materia Phyſica eſt tantum entium, Materia Logica eſt Entium & non entium.

*Quæſt.* Da exemplum Entium.

*Reſp.* Hoc non eſt opus, quia quicquid eſt in rerum natura vel extra naturam, aut cum natura habet ſuum eſſe, & differunt eſſe & eſſentia realiter tantùm.

*Quæſt.* Da exemplum non entium.

*Reſp.* Omnia exempla ficta in poëtis quæ materiam tractare videntur, quum tamen reuera eiuſmodi nulla ſit materia, dicuntur non entia, & quæ Materiam Phyſicam non habent ea dicuntur non entia, qualia ſunt Artium materiæ quæ animis noſtris inhærent, nempe præcepta quæ non poſſunt dici Materia vel Corporea vel Senſibilis. Ariſt. Philoſ. cap. 5. & 6. lib. 1 & in 6. octaui libri Materiam aliam eſſe αἰσθητὴν, aliam νοητὴν, ſenſilem, intelligibilem, ait Ariſt. & idem dici poteſt de omnibus Dialecticæ locis. Ariſt. lib. 1. Elenchorum cap. 8.

*Quæſt.* At Rodolphus, ex Ariſt. 1. Phyſicorum. Materiam

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0043-5

definit eſſe Subjectum ex quo aliquid generatur primum, & in quod corrumpitur vltimum. Si hæc definitio vera ſit, neceſſe eſt vt materia ſit ſubſtantia & proinde agere de entibus tantùm.

*Reſp.* Rodolphus falſam Dialectices ponit & definit Materiam: ſed fortè in animo illi non erat Logicam ſed Phyſicam materiam definire.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Materia?

*Reſp.* Triplicem vulgò faciunt materiam, nempe

Materiam { Ex qua. / In qua. / Circa quam.

ſed propriè loquendo harum ſpecierum prima eſt materia, ſecunda ſubjectum, tertia objectum dicitur.

*Quæſt.* Iam tranſcendamus ad formam, quæ internarum cauſarum poſterior eſt, Dic ergo, Quid eſt forma?

*Reſp.* Forma eſt cauſa per quam res eſt id quod eſt. Ariſt. 2. Poſt. cap. 11.

*Quæſt.* Num inſit cuique rei ſua forma?

*Reſp.* Propriè loquendo, forma eſt corporis, aliàs figura vel ſpiritus dicitur: Sed quia res omnes ſuis formis eſſentialiter differunt, idcirco communi vtimur formæ vocabulo.

*Quæſt.* Quódnam eſt formæ proprium officium?

*Reſp.* Rem { Formare. / Diſtinguere à cæteris.

*Quæſt.* Quænam ex his rebus vtilitas ad nos permanat?

*Reſp.* Harum formarum cognitio valde conducit & ad cognoſcendum quid ſit vnumquodque: & ad rationem ſui & diuerſi. Hinc à Porphyrio vocatur ſpecifica, completiua, conſtitutiua. Deinde Diuiſiua: quia ſpecies generis alias ab alijs diuidit & diſtinguit.

*Quæſt.* Quotuplex eſt forma?

*Reſp.* Duplex { Subſtantialis. / Accidentalis.

*Quæſt.* Quid eſt ſubſtantialis forma?

*Reſp.* Eſt forma per quam vnaquæque Subſtantia naturalis

eſt id quod eſt, vt Anima rationalis eſt forma hominis, quia per hanc homo eſt homo.

*Quæſt.* Quid eſt Accidentalis forma?

*Reſp.* Ipſa figura corporis: ſiue à natura, vt figura corporis humani, Arboris, &c. ſiue ab Arte diducta, vt figura gladij, domus, nauis, &c.

*Quæſt.* Potéſtne forma ſubſtantialis cognoſci?

*Reſp.* Minimè quidem aut ſanè perdifficile, niſi communi ratione & definitione, vel ex forma accidentali, ſed poteſt quodammodo in animo concipi. Iulius Cæſar Scalig. ad Cardanum de Subtil. Exercit. 307. Sect. 21.

*De Effectis.*

*Quæſt.* Pulchrè quidem & eruditè de cauſa prima Logica Categoria diſſeruiſti, nunc cauſarum tabulam Analyticam ſubiungas precor, vt quàm concinnè inter ſe ea omnia quæ à te fuſiùs ſunt dicta cohæreant, rudioribus pateſiat.

*Reſp.* Et in his, tibi ſatisfaciam. En tibi.

* * *

*Quæſt.* Nunc reſtat vt ſecundum aggrediamur prædicamentum, nempe Effectum. Dic ergo quid ſit Effectum?

*Reſp.* Quod è cauſis exiſtit, & vocatur ab Ariſtotele cauſatum.

*Quæſt.* Vbi de hoc loco agit Ariſtoteles?

*Reſp.* In Categ. cap. de Actione & motu.

*Quæſt.* Quo nomine appellatur hic locus apud Ariſt.?

*Reſp.* Actionis nomine, item operis, Actus, effectionis, generationis, motus.

*Quæſt.* Num doctrina Motus Logica eſt, an Phyſica?

*Reſp.* Logica.

*Quæſt.* Hoc proba.

*Agere & pati ſunt Logica topica,*
*At Mouere & moueri idem ſunt atque agere & pati.*
Ergo *Mouere & moueri ſunt Logica Topica.*

Aſſumptio probatur ex ipſo Ariſtotele lib. Categoriarum in fine, vbi agit de motibus in genere.

*Quæſt.* Quotuplex eſt effectum?

*Reſp.* Duplex ſicut cauſæ { Internum. Velcur.lib.1.cap.20.' { Externum.

Internum, materiatum, formatum. Externum, proprium, deſtinatum. Præcipuus tamen eſt vſus effecti proprij vel propriè dicti.

*Quæſt.* Quænam ſunt effectorum Regulæ?

*Reſp.* Poſita cauſa, neceſſariò ponuntur eius effecta vel { Præſentia actu. Futura potentia.

Negata cauſa, neceſſariò negantur effecta potentia futura, & contrà.

Poſito effecto, ponitur cauſa vel quod ſit, vel ſaltem fuerit.

Negato effecto, negatur etiam eius cauſa actu præſens.

*Quæſt.* Súntne Effecta & Euentus de quibus Rodolphus idẽ?

*Reſp.* Sunt.

*Quæſt.* Poteſt idem effectum, effectum eſſe diuerſarum cauſarum?

*Reſp.* Poteſt, vt Domus eſt effectus materiæ ſuæ, & ædificatoris ſui.

*Quæſt.* Quodnam eſt effectum formæ?

*Reſp.* Eſt opus vel actio, ſequens formam cuiuſque rei, adeoque eſſentiam rei: vtplurimùm poſſe capere, eſt effectus formæ & figuræ circularis. Vt loqui, videre, ratiocinari eſt effectus actioque hominis quatenus homo eſt. Vt cadere deorſum eſt effectus lapidis prout lapis. Album reddere vel dealbare eſt effectus formæ albedinis, & ſic de cæteris formis, &c.

*Quæſt.* Quodnam eſt effectum materiæ?

*Reſp.* Opus quod ex materia exiſtente conſequi & fieri poteſt. vel iam adeò conſequutum eſt: vt Gladius aut culter eſt effectus materiæ ſuæ ſcilicet ferri, fœtus in vtero eſt effectus materiæ ſuæ ſcilicet ſeminis.

*Quæſt.* Quid eſt effectum proprium, vel propriè dictum?

*Reſp.* Eſt effectum cauſæ efficientis, & eſt opus vel Actio conſequens operationem efficientis actu & non ceſſantis neque otioſi. Sic fœtus eſt effectum generantis, ſic illuſtratio eſt effectum

effectum Solis. Et huiuſmodi effecta ſunt Actus externi potentiarum & proprietatum.

*Quæſt.* Quare hoc vocas proprium effectum?

*Reſp.* Quia cum efficientis nomine, effecta iuncta ſunt arctiſſimè, & in eodem genere; & alterum agentis, alterum patientis præ ſe fert faciem. Rodolphus lib. 1. cap. 16.

*Quæſt.* Quodnam eſt effectum deſtinatum?

*Reſp.* Eſt effectum finalis cauſæ vel ipſius finis opus & actio effecta vel exhibita propter finem vltimum.

*Quæſt.* Huius categoriæ tabulam ſubiungas precor.

*Reſp.* Hanc ita deſcriptam accipito.

Effectum eſt quod è cauſis exiſtit, eſtque duplex: vel
- Internum
  - Materiatum, eſt effectum materiæ, vt Gladius eſt effectum ſuæ materiæ, nempe ferri.
  - Formatum, effectum eſt formæ. Vt loqui, videre, effecta ſunt hominis quatenus homo eſt. Cadere deorſum effectum lapidis prout lapis.
- Externum idq; vel
  - Proprium, quod eſt effectum efficientis cauſæ. Vt fœtus eſt effectum generantis. Illuſtratio eſt effectum Solis.
  - Deſtinatum, quod eſt effectum finalis cauſæ. Vt ſtudium eſt effectum vel opus ad eruditionem comparandam tanquam finem vltimum.

## *De Subiecto.*

*Quæſt.* Nunc ad cæteras Categorias progrediamur. Quid igitur eſt ſubiectum?

*Reſp.* Cui aliquid adiungitur, & hûc pertinet Categoria Vbi ſeu Locus.

Sic anima eſt ſubiectum ſcientiæ,

Corpus eſt ſubiectum ſanitatis, morbi &c.

Homo eſt ſubiectum Diuitiarum, paupertatis.
Locus eſt ſubiectum rei locatæ.
Color eſt ſubiectum viſus.
Res numerabilis ſubijcitur Arithmeticæ, &c.

*Quæſt.* Quotuplex eſt ſubiectum?

*Reſp.* Duplex { Recipiens. / Occupans.

*Quæſt.* Quid eſt ſubiectum Recipiens?

*Reſp.* Quod recipit rem Adiunctam, vt Genus ſubiectum eſt recipiens omnes ſpecies.

*Quæſt.* Quotuplex eſt ſubiectum recipiens?

*Reſp.* Duplex { Proprium / Commune.

Sic ſcientiæ & ignorantiæ ſubiectum proprium eſt Mens: virtutis & vitij appetitus. Commune autem illorum omnium ſubiectum eſt Anima.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Recipiens proprium?

*Reſp.* Duplex { In ſe. / Ad ſe.

*Quæſt.* Quotuplex eſt commune?

*Reſp.* Duplex { In ſe. / Ad ſe.

*Quæſt.* Da exempla primi Generis nempe ſubiecti recipientis in ſe.

*Reſp.* Anima eſt ſubiectum recipiens in ſe Scientiam. Sic corpus recipiens eſt ſubiectum in ſe ſanitatis, morbi &c. Sic res Numerabilis ſubijcitur Arithmeticæ quæ eam capit in ſe. Sic locus eſt ſubiectum recipiens rem locatam in ſe vel intra ſe.

*Quæſt.* Da exempla ſecundi generis nempe ſubiecti recipientis ad ſe.

*Reſp.* Homo eſt ſubiectum recipiens ad ſe diuitiarum, paupertatis, &c.

*Quæſt.* Quid eſt ſubiectum occupans?

*Reſpon.* Eſt in quo Res adiuncta vel Accidens occupatur, vel

vel exercetur, & hoc propriè in ſcholis vocatur obiectum, vt arma virilia erant obiectum circa quod occupatur Achilles apud Ouidium Met. 13.

*Præſcia venturi genitrix Nereia lethi,*
*Diſsimulat cultu natum: & deceperat omnes*
*(In quibus Aiacem) ſumptæ fallacia veſtis,*
*Arma ego femineis animum motura virilem,*
*Mercibus inſerui: neque adhuc proiecerat heros,*
*Virgineos habitus, cum parmam haſtamque tenenti*
*Nate Dea, dixi, tibi ſe peritura reſeruant*
*Pergama, quid dubitas ingentem euertere Troiam?*
*Iniecique manum fortemq; ad fortia miſi.*

*Quæſt.* Nunc ſubiecti Analyſim adjicias velim?

*Reſp.* Subiecti Analyſis eſt huiuſmodi.

Subiectum eſt cui aliquid adjicitur: idq; vel
- Recipiens quod recipit rem adiūctam, eſtq; vel
  - Proprium quod adiunctorū eſt propriū receptaculum, vel
    - In ſe, Sic Mens proprium eſt receptaculum eruditionis, ignorantiæ. Sic Arithmetica capit in ſe numerandi rationem.
    - Ad ſe, Sic materia hominis recipit ad ſe figuram corporis.
  - Commune quod propria adiūcta, omnia continet, vel
    - In ſe, Sic Anima commune eſt receptaculum Scientiæ, ignorantiæ. Corpus naturale corruptionis, ſic Genus ſpeciei.
    - Ad ſe, Sic corpus pallorem, rubedinem, nigrorem & huiuſmodi adiuncta ad ſe recipit.
- Occupans in quo adiuncta occupantur, & vocatur obiectum. Sic fidei obiectum Chriſtus, Colores oculorum obiecta. Scientia mentis obiectum.

*De Adiunctis.*

*Quæſt.* Nunc de adiunctis conueniamus. Quid eſt adiunctum?

*Reſpon.* Cui aliquid ſubjicitur. Huc pertinent categoriæ Quando, Quantitas, Qualitas, Paſſio, Habitus. Item prognoſtica Phyſica de ventis, pluuijs &c. Et Medicorum iudicia de morbi ſignis & ſanitatis, vocatur ab Ariſt. Accidens, proprium, circumſtantia, περίστασις.

*Quæſt.* Quare tu Adiunctum non appellas Accidens, cum Ariſtotele?

*Reſp.* Quia Accidens apud Ariſt. complectitur Effecta, Adiuncta comparata, ſed quam falsò omnes norunt, quum Accidens ſit quædam particula Adiuncti.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Adiunctum?

*Reſp.* Duplex, vel { Receptum. / Occupatum. }

*Quæſt.* Quid eſt Receptum?

*Reſp.* Quod ſubiecto vel inhæret vel adhæret.

*Quæſt.* Quid eſt Occupatum?

*Reſp.* Quod in ſubiecto vel obiecto occupatur.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Receptum?

*Reſp.* Duplex, vel { Inhærens. / Adhærens. }

*Quæſt.* Quid eſt Inhærens?

*Reſp.* Quod ſubiecto inhæret.

*Quæſt.* Quot ſunt genera Inhærentium?

*Reſp.* Duo. { Primum, / Secundum, } quæ à Philoſophis Accidentia dicuntur.

*Quæſt.* Quodnam eſt primum?

*Reſp.* Quod eſt Materiale, quod ſenſu aliquo percipitur vel ſaltem coniectatur vel { Extrà, / Intrà, } Corpus.

Huiuſmodi ſunt Bona vel Mala Corporis vel Animi, & quantitates.

*Quæſt.*

*Quæſt.* Quodnam eſt ſecundum genus?

*Reſp.* Quod eſt immateriale vel imaginarium, quod ſenſu quidem externo non comprehenditur, ſed Animi tantùm imaginatione concipitur. Huiuſmodi ſunt qualitates.

*Quæſt.* Quænam vocantur qualitates?

*Reſp.* Quæ præter cauſas ſunt ſubiectis Adiunctæ.

*Quæſt.* Quotuplex eſt qualitas?

*Reſp.* Qualitates ſunt, vel { Propriæ. / Communes.

*Quæſt.* Quæ ſunt propriæ?

*Reſp.* Quæ vulgò dicuntur propriæ quarto modo, id eſt, omni, ſoli & ſemper: vt Riſus homini, Equo hinnitus, Cani latratus, &c.

*Quæſt.* Quæ ſunt communes qualitates?

*Reſp.* Quæ non ſunt eo modo propriæ, quales ſunt Accidentia quæ poſſunt abeſſe ſine interitu ſubiecti.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* *Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus,*
*Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.* *Martialis.*

*Quæſt.* Quid eſt Adiunctum adhærens?

*Reſp.* Eſt quod rem circumſtat, & ideo à Philoſophis dicitur circumſtantia, vt tempus, veſtitus, comitatus, &c.

*Quæſt.* Da exemplum huius Adiuncti?

*Reſp.* Dido venatum proficiſcens apud Virgilium, à circumſtantijs 4 Æneid. depingitur.

*Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.*
*It portis iubare exorto delecta iuuentus:*
*Retia rara, plagæ, lato venabula ferro:*
*Maſſyliq; ruunt equites, & odora canum vis.*
*Reginam thalamo cunctantem, ad limina prim*
*Pœnorum expectant: oſtroq; inſignis & auro*
*Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.*
*Tandem progreditur magna ſtipante caterua,*
*Sidoniam picto chlamidem circundata limbo,*
*Cui pharetra ex humero, crines nodantur in aurum:*
*Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*

*Quæſt.* Quid eſt Adiunctum occupatum?

*Reſp.* Quod in ſubiecto occupatur, & à philoſophis dicitur obiectum: & huiuſmodi adiuncta diligenter à mercatoribus in exteras regiones profecturis ſunt conſiderata. Nempe prius ſtudioſè vident quæ ſint vel ſtudia, vel exercitationes eiuſdem regionis, vt ſubiectas eorum moribus merces apportent.

*Quæſt.* Nunc Tabulam adiunctorum ſubiungas precor.

*Reſp.* Hanc ſic deſcriptam accipito.

*Adiunctorum Tabula.*

- Adiunctum cui aliquid ſubijcitur eſtque, vel
  - Receptum quod eſt, vel
    - Inhærens.
      - Materiale.
        - Bona vel mala corporis, vel animæ.
        - Quãtitates.
      - Immateriale qualia ſunt qualitates
        - Propriæ.
        - Cõmunes.
    - Adhærẽs quod nihil aliud eſt præter circumſtantias temporis, vel veſtitus, vel comitatus.
  - Occupatũ, quod à philoſophis vocatur obiectũ.

*De Diſſentaneis.*

*Quæſt.* Nunc quoniam ſatis de Argumentis conſentaneis tum abſolutè, tum modo quodam diſputatum eſt: Argumentum diſſentaneũ aggrediamur. Dic ergo quid ſit Diſſentaneum?

*Reſp.* Quod à re diſſentit.

*Quæſt.* Oſtende diſſentaneorum regulam.

*Reſp.* Diſſentanea inter ſe ſunt æque manifeſta, alterumque ab altero æqualiter arguitur.

*Quæſt.* Quomodo clariùs perſpiciuntur?

*Reſp.* Sua diſſenſione.

*Quæſt.* Hoc proba?

*Reſp.* Ariſt. lib. 3. Rhetorico. cap. 2. & 17. ſic habet.

παρα-

παράλληλα τὰ ἐναντία μάλιϛα φαίνεϑαι

*Aduerſa è regione poſita maximè apparere.*

*Quæſt.* Quod tu de diſſentaneis prædicas, Ariſt. ad oppoſita tantùm reſtringit, illa nimirum (& non diſſentanea) eſſe æque inter ſe manifeſta, &c. Ariſt. Top. lib. 6. cap. 3.

*Reſp.* Ariſt. fallitur cum ad vnam ſpeciem reſtringit, quod ad ipſum genus pertinet.

*Quæſt.* Quantus eſt diſſentaneorum vſus?

*Reſp.* Magnus, & præcipuè in errorum refutatione verſatur, nonnunquam tamen in confirmatione locum habet, nec non demonſtrationes per impoſſibile ex diſſentaneorum topicis ſunt deductæ.

*Quæſt.* Eſtne doctrina diſſentaneorum, vllo modo primorum argumentorũ, cum ſit poſterior quàm conſentaneorũ doctrina?

*Reſp.* Eſt. Sed tamen eſt eorum primorum argumentorum, quæ re ipſa ſeparata eſſe poſſunt à conſentaneis.

*Quæſt.* Quomodo diſtribuitur diſſentaneorum categoria?

*Reſp.* Duplici diſtribuitur partitione. primò ſecundum diſſenſionem rationis tantùm. Deinde ſecundum diſſenſionem rationis pariter & rei.

*Quæſt.* Tu eandem proſequere partitionem?

*Reſp.* Sic ergo partior. Diſſentanea ſunt,

vel { Diuerſa. / Oppoſita.

*Quæſt.* Quid eſt diuerſum?

*Reſp.* Eſt Diſſentaneum quod ſola ratione diſſentit.

*Quæſt* Quibus notis diſcernitur diuerſum ab oppoſito?

*Reſp.* Non hoc, ſed illud: Quanquam tamen. Hæ ſunt diuerſorum notæ.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* *Hic Priamus, quanquam in media iam morte tenetur,*
*Non tamen abſtinuit.* — Virgil.

Non enim furem, ſed ereptorem:
Non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: *Cic. Verr. 3.*
Non ſacrilegium, ſed hoſtem ſacrorum religionumque.
Non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem ciuium ſociorumq;, in veſtrum iudicium adduximus.

*Quæſt.* Quid ſunt oppoſita?

*Reſp.* Oppoſita ſunt Diſſentanea, quæ ratione & re diſſentiunt. Itaque eidem attribui, ſecundum idem, & ad idem, & eodem tempore non poſſunt. Sic Socrates non poteſt eſſe albus & ater eadem parte: Pater & filius eiuſdem hominis: Sanus & æger eodem tempore.

*Quæſt.* Súntne oppoſita, Accidentia vel Adiuncta tantùm?

*Reſp.* Non. Sunt etiam ſubſtantiæ: ſunt denique τὰ ὄντα καὶ μὴ ὄντα, Entia & non entia: quia oppoſitio, res eſt Logica, & ideo communis rerum omnium.

*Quæſt.* Aiebas oppoſita non poſſe tribui eidem, ſecundum idem, ad idem & eodem tempore. Exemplo confirmabas, cui ſic objicio. Socrates poteſt eſſe ater vna parte, & albus altera parte: ergo Socrates poteſt eſſe albus & ater.

*Reſp.* Sophiſticè argumentaris, & ex ignoratione Elenchi. Pars enim Socratis non eſt Socrates, ergo totus Socrates non eſt albus & ater, &c.

*Quæſt.* Quodnam eſt oppoſitorum Axioma?

*P. Ram. lib. 1. Scholarum Phyſic.*

*Reſp.* Ex altero affirmato, alterum negari, aut contrà. & φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων ἐναντία, corruptiua ſunt inter ſe oppoſita.

*Quæſt.* Quotuplicia ſunt oppoſita?

*Reſp.* Duplicia, vel { Diſparata. / Contraria.

*Quæſt.* Quænam ſunt Diſparata?

*Reſp.* Sunt oppoſita, quorum vnum multis pariter opponitur. Sic Homo, Arbor, Lapis inter ſe diſparantur. Item Liberalitas, Effuſio.

*Rodolph. lib. 1. cap. 7.*

*Quæſt.* Cur tu illa Diſparata, quæ Rodolphus Differentias appellat?

*Reſp.* Quia Differentia totam Diſſentaneorum categoriam complecti videtur: Deinde quia Differentia ab Ariſt. opponeretur ſimilitudini pro diſſimilitudine. Denique quia verbũ Diſparari non minùs eſt Latinum quàm rei accommodatum.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Virg. 1 Æneid.*

*Reſp.* *O quam te memorem virgo: namque haud tibi vultus*
*Mortalis, nec vox hominem ſonat: O Dea certè.*

*Quæſt.* Quid ſunt contraria?

Reſp.

*Reſp.* Sunt oppoſita, quorum vnum vni tantum opponitur. Ariſt. de Cœlo lib. 1. cap. 2. & Meteororum cap. 6. lib. 4.

*Quæſt.* At in Ethicis virtus non opponitur vni vitio, ſed duobus: vt Liberalitas, Auaritiæ & effuſioni; Fortitudo, Ignauiæ & Audaciæ, ergo mala eſt tua contrariorum definitio.

*Reſp.* Non ſequitur: Quia virtus iſthîc non opponitur duobus vitijs, quaſi vtrique contraria: Verùm alteri vt diſparatum. Præterea ſi quid vnum, duobus opponatur, tunc opponitur duplici genere oppoſitionis, vt Motus motui & quieti: *Talaus* vt eſt 8. Phyſic. cap. 7. Quare cum dixerim vnum vni opponi, intelligendum eſt me de omnium contrariorum communitate loquutum fuiſſe generaliter: quia Generale eſt præponendum: Hæc enim differẽtia vera eſt contra diſparatorum Genus, quod eſt vt vnum multis pariter opponatur.

*Quæſt.* Non poſſunt duo vni rei opponi?

*Reſp.* Non. Plato in Alcibiade 2.

*Quæſt.* Vis tu idem per contraria, quod intelligit Ariſt. per ἀντικείμενα καὶ ἀντιθέμενα, Oppoſita & oppoſitiones in Categ.

*Reſp.* Sanè quidem.

*Quæſt.* Quotuplicia ſunt contraria?

*Reſp.* Duplicia, vel { Affirmantia. / Negantia.

*Quæſt.* Quænam ſunt Affirmantia?

*Reſp.* Quorum vtrumque affirmat.

*Quæſt.* Quid hoc ſibi vult?

*Reſp.* Vt planiùs loquar: Affirmantia ſunt contraria quæ vocabulis affirmantibus, & negationem non continentibus exponuntur.

*Quæſt.* Quotuplicia ſunt Affirmantia?

*Reſp.* Duplicia, { Relata. / Aduerſa.

*Quæſt.* Quid ſunt Relata?

*Reſp.* Sunt contraria affirmantia, quorum vtrumque conſtat è mutua alterius affectione: vt pater dicitur pater reſpectu filij: & filius dicitur filius reſpectu patris, &c. Et hæc definitio eſt Ariſt. cap. de oppoſitis in Catego.

*Quæſt.* Quæ relatorum eſt natura?

*Reſp.* Eſſe ſimul natura, ἅμα τῇ φύσει. Categ cap. de Simul. Non tantùm valere ad argumentandi vim æqualem, ſed ad eſſentiæ reciprocationem & affectionem. Hinc dicuntur ab Ariſt. πρὸς ἀντιστρέφοντα ad conuertentia.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* ——— *Non hoſpes ab hoſpite tutus.*
*Non ſocer à genero: fratrum quoquo gratia rara eſt.*
*Imminet exitio vir coniugis: illa, mariti:*
*Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ:*
*Filius ante diem patrios inquirit in annos.*

*Quæſt.* Quis eſt relatorum vſus?

*Reſp.* Certè mutuæ relationis vel argumenti vel eſſentiæ permagnus eſt vſus: quod etiam teſtari poſſunt in locis inuentionis tam multæ argumentorum definitiones, per relationem factæ: vt cauſæ & Effecti, Subiecti & Adiuncti, Diſſentanei per Diſſentaneum, & ſic deinceps Paria, Maiora, Minora, Similia, Diſſimilia, Totum, Pars, Genus, ſpecies definientur.

*Ariſt. Categ. quantitatis.*

*Quæſt.* Quid ſunt Aduerſa?

*Reſp.* Aduerſa ſunt contraria affirmantia, quæ inter ſe velut è regione, perpetuò aduerſantur. Sic albor & nigror, calidum & frigidum, virtus & vitium opponuntur.

*Quæſt.* Súntne Aduerſa eadem quæ ab Ariſtotele vocantur contraria?

*Lib. 1. cap. 26.*

*Reſp.* Sunt. Et à Rodolpho perito Dialectico ſic definiuntur. Aduerſa (vel contraria) ſunt Repugnantia, quorum vtrumque poteſt ſimul exiſtere, & alterum ſine altero eſſe: vt calidum & frigidum contraria ſunt, exiſtuntque vtraque ſimul.

*Quæſt.* Vnde ſumitur definitio prior?

*Reſp.* Ex Ramo, qui eandem à Cicerone eſt mutuatus.

*Quæſt.* Quodnam eſt aduerſorum axioma?

*Reſp.* Aduerſorum non poteſt idem eſſe propriũ adiunctum.

*Quæſt.* Quotuplicia ſunt aduerſa?

*Reſp.* Duplicia alia ſunt { Mediata. / Immediata. }

*Quæſt.*

*Quæſt.* Quæ ſunt Mediata?

*Reſp.* Quæ aliquid in medio habent. Vt Album & Nigrum multos habent intermedios colores; Calidum & frigidum in medio habent tepidum.

*Quæſt.* Quæ ſunt immediata aduerſa?

*Reſp.* Quæ nihil in medio habent, vt virtus & vitium, Sanitas & ægritudo, &c.

*Quæſt.* Quis hanc poſuit aduerſorum diſtinctionem?

*Reſp.* Ariſt in Categ. cap. de Oppoſitis.

*Quæſt.* Contraria partitus es in Affirmantia & Negantia: Affirmantia verò in Relata & Aduerſa: de his iam dictum eſt, de cæteris dicendum reſtat. Dic ergo quid ſunt contraria negantia?

*Reſp.* Contraria negantia ſunt, quorum alterum ait, alterum negat idem.

*Quæſt.* Quotuplicia ſunt contraria negantia?

*Reſp.* Duplicia, vel { Contradicentia. / Priuantia. }

*Quæſt.* Quid ſunt contradicentia?

*Reſp.* Sunt contraria negantia, quorum alterum negat vbiq;.

*Quæſt.* Quid tibi vis per tuum: vbique?

*Reſp* Intelligo per vbique, in ſubiecto quolibet.

*Quæſt.* Vbi de his Ariſt?

*Reſp.* 2. priorum cap. 10. dicit in his ſolis neceſſariò eſſe, vt alterum ſit verum, alterum falſum. Huius Categoriæ axioma eſt huiuſmodi: Quodlibet affirmare aut negare verum. Ariſt. 1. poſt. cap. 1.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* *Bella es nouimus, & puella, verum eſt:*
*Et diues, quis enim poteſt negare?*
*Sed dum te nimium, Fabulla, laudas;*
*Nec diues, neque bella, nec puella es.*

Sic Apoſtolus Paulus certitudinem ſuæ doctrinæ negatione contradicentium confirmat. 1. Cor. 1. 19. Dei filius Ieſus Chriſtus, qui inter vos, per nos prędicatus eſt, non fuit Etiam & Non: ſed fuit Etiam: Sic Iuſtus, & non Iuſtus, Animal, non Animal, Eſt, non eſt, ſunt contradicentia. Sic Aliquem currere, Aliquem non currere &c.

*Quæſt*. At aliquem currrere, & aliquem non currere non ſunt contradicentia: quoniam poteſt vtrumque eſſe verum: Nam poteſt aliquis currere vt Cicero: & ſimul aliquis non currere vt Cato.

*Reſp*. Poteſt. Sed verum hîc non negatur de vno quod erat affirmatum de altero. Quare vt contradicat, neceſſe eſt idipſum negas quod affirmaſti: vt quoniam dixiſti aliquem hominem currere, neges currere aliquem: hoc eſt: Nullum dicas currere: eſtque ea perpetua, & immota contradicentium lex, vt de omni re, neceſſe ſit verè alterum contradicentium dici, vtraque de nulla. Rodolph. lib. 1. de Inuentione cap. 26.

*Quæſt*. Nunc de priuantibus agamus. Dic ergo quid ſunt priuantia?

*Reſp*. Sunt contraria negantia quorum alterum negat in eo tantum Subiecto, in quo Affirmatum ſuapte natura ineſt. Et hîc Affirmatum dicitur Habitus, Negatum verò priuatio. Ramus. Vel priuatio, eſt defectus alicuius, in eo, quod id natum eſt habere. Rodolph. vt cæcitas eſt defectus viſus, non in quouis (nec enim lapis cæcus dicitur, quoniam lapis non eſt ſubiectum naturale viſus, ſed animal oculatum) ſed in eo quod natum eſt videre.

*Quæſt*. Da exemplum?

Martial. *Reſp*. *Semper eris pauper, ſi pauper es Æmiliane,*
*Dantur opes nullis, nunc niſi diuitibus.*

Ouidius. *In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores:*
*Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.*

*Quæſt*. Vbi de his, Ariſt?

*Reſp*. In Categorijs cap. de oppoſitis.

*Quæſt*. Si priuatio ſit negatio contrarij habitus in Subiecto naturali, vt eſt in Philoſoph. 4. cap. 10. quomodo ab Ariſt. ponitur quaſi principium rerum phyſicarum omnium?

*Reſp*. Illud commentum Ariſtoteles ipſe poſtea in totis operibus phyſicis abundè refutauit: & cum Efficientem materiam, formam & finem conſideret: commentitium illud priuationis inſomnium in nullo prorſus naturæ opere adhibet.

*Quæſt*. Nunc Diſſentaneorum tabulam ſubijcito.

*Reſp*. Faciam.

Diſſentanea

- Diſſentanea ſunt quæ à re diſſentiunt, vel
  - Re tantùm vt diuerſa.
  - Ratione & Re. vt oppoſita quæ ſunt
    - Diſparata.
    - Cõtraria quæ ſunt
      - Affirmãtia
        - Relata.
        - Aduerſa
          - Mediata.
          - Immediata.
      - Negantia, quæ ſunt
        - Contradicentia.
        - Priuantia.

*6. De Comparatis.*

*Quæſt.* De Argumento ſimplici abundè mihi ſatisfactum eſt: Nunc comparata mihi exponere ne ægrè feras. Dic igitur quid ſint comparata?

*Reſp.* Comparata ſunt quæ inter ſe comparantur.

*Quæſt.* Quomodo magis dignoſcuntur & illuſtrantur?

*Reſp.* Breuiùs ex ſuis notis, & pleniùs ex partium diſtinctione. Et hoc eſt primum comparatorum priuilegium.

*Quæſt.* Quænam ſunt partes in quas diſtingui poſſunt? *2. priuilegium.*

*Reſp.* Propoſitio & Redditio, quæ vulgò dicuntur Antecedens, Conſequens, & earum vna tota, (non vnus terminus) Argumentum faciunt.

*Quæſt.* Quis eſt fictorum Argumentorum comparatorum vſus?

*Reſp.* Arguunt & fidem faciunt, & hoc eſt comparatorum tertium priuilegium.

*Quæſt.* Quodnam eſt comparatorum axioma?

*Reſp.* Comparata ſuapte natura æque ſunt nota.

*Quæſt.* Vbi de his agit Ariſtoteles?

*Reſp.* In Categorijs Quantitatis & qualitatis, & Topic. lib. 3.

*Quæſt.* Quotuplex eſt comparatio?

*Reſp.* Duplex. { Quantitatis. / Qualitatis.

*Quæſt.* Quid eſt Quantitas?

*Reſp.* Eſt comparatio qua res comparatæ dicuntur Quantæ.

*Quæſt.* Suſcipítne Quantitas contrarium?

*Reſp.* Ita quidem in Dialectica.

*Quæſt.* Inficiatur Ariſtoteles in Categorijs cap. de Quantis. Necnon omnes qui vnquam ſcripſerunt Dialectici.

*Reſp.* Ariſtotelem inficias ire fateor, ſed omnes vnà cum Ariſtotele ita ſentire planè diffiteor. Ramum enim omnium qui vnquam vixerunt peritiſſimum Dialecticum, in hac, & vixiſſe & expiraſſe ſententia, abſolutæ eius Dialect. teſtantur ſcholæ. An Talæus fideliſs. & doctiſſimus Rameæ Dialecticæ interpres aliter ſenſit? Minime gentium. Sed vt tu idem nobiſcum fateare, vnico agam argumento.

*Ariſt. Philoſoph. lib. 4. cap. 1.*

Doctrina Logica verſatur circa ὄντα καὶ μὴ ὄντα, entia vel nõ entia. Ariſt. Doctrina contrariorum eſt doctrina Logica, ergo

Doctrina contrariorum verſatur circa entia & non entia.

*Quæſt.* Concedo, ſed quid hinc conſequitur?

*Reſp.* Quod inter nos controuertitur.

*Quæſt.* Quomodo?

*Reſp.* Omnia Entia aut non entia ſubjiciuntur contrariorum doctrinæ.

Omnes Quantitates ſunt entia aut non entia: ergo omnes quantitates ſubjiciuntur contrariorum doctrinæ.

*Quæſt.* Habeo quod pro Ariſt. regererem, ſi tempus me pateretur, omnia proſequi, nempe Ariſtotelem loqui de quantitate certa ac definita, id eſt, per ſe conſiderata. Sed in aliud tempus & locum peropportunum, diſputationem differam. Interim progrediamur. Quotuplex eſt Quantitas?

*Reſp.* Duplex, { Parium. / Imparium.

*Quæſt.* Cur non cum Ariſtotele partiris Quantitatem

in

in { diſcretam, vt Numerus & Oratio.
continuam, id eſt, magnitudinem, vt lineæ extremitas corpus, & præterea locus & tempus.

*Reſp.* Quia vitioſa eſt iſta partitio in Logica doctrina. Nam partes eſſent longè minores & inferiores toto diuiſo. Accipitur enim Quantitas logicè generaliter pro quolibet argumento, quo res dicuntur æquales vel inæquales Ariſt. Phil. lib. 4. cap. 2. & lib. 11. cap. 2. & in Topicis. Sed hæc partitio ſpecialiter de Numero & Magnitudine agit, quæ ad Mathematicos tantum reſtringuntur.

*Quæſt.* At tua partitione videtur Quantitas non minus mathematicè diuidi, quam ab Ariſtotele diuidebatur. Paria enim & imparia Mathematicis diſciplinis accommodantur.

*Reſp.* Mathematicos hæc verba vſurpaſſe, paritatemque & imparitatem numeris: æqualitatem & inæqualitatem magnitudinibus attribuiſſe fateor. At Logica vtrunque logicè & generaliter, & ſuo iure vindicabit. Et ſic Ariſt. Phil. lib. 5. cap. 15 ait generaliter: Æqualia ſunt quorum quantitas eſt vna. In Rhetoricis item lib. 2. cap. 23. generaliter, æquale eſt quod neque magis neque minus. Et ad parium locum poſſunt ea referri, quæ tam prolixè per Ariſt. Philoſ. ſunt diſperſa: videlicet: *Metaph. lib. 1. cap. 15.*

Quot modis duo quælibet aut plura dici poſſunt idẽ & vnum, quæ fieri poſſunt abſolutè vel modo quodam.

Abſolutè è { Cauſis / Effectis } Modo quodam

è { Subiectis / Adiunctis } Et hæc omnia videtur Ariſt. innuere quum dicit vnum dici, ὑσία, ποιήσει, ὑποκειμένῳ: παθήσει: Eſſentia, Effecto, Subiecto, Affectu.

*Quæſt.* Quid ſunt paria? *Paria.*

*Reſp.* Paria ſunt quorum eſt vna quantitas.

*Quæſt.* Quodnam eſt argumentum parium?

*Reſp.* Eſt, cum par explicatur à pari.

*Quæſt.* Súntne paria & æqualia idem?

*Reſp.* Sunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0061-5

*Quæſt.* Quot ſunt Notæ parium?

*Reſp.* Nouem. Par, Æquale, Æquare, Idem quòd, Tam quàm, tantò quantò, tot quot, & non magis non minùs.

*Quæſt.* Da exempla?

Virg Æneid. 2.

*Reſp.* *Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,*
*Aen. 5.* *Par leuibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.*
*Et nunc æquali tecum pubeſceret æuo.*
*Aen. 6.* *Imperium terris animos æquabit olympo.*
*Aen. 4.* *Tam ficti prauique tenax quàm nuncia veri.*
*Catull.* *Tanto peſſimus omnium poeta,*
*Quanto tu optimus omnium patronus.*
*Littora quot conchas* —
*Ouid. 4. Triſt.* *Tot premor aduerſis* — Cætera petas ex Ramo & Talæo.

*Quæſt.* Quodnam eſt parium axioma?

*Reſp.* Si parium alterum ſit, reliquum eſt: Sin alterum non ſit reliquum non eſt. 2. Topic. 4. Huius etiam loci ſunt illa conſectaria è contrarijs quidem orta, & tractata parium collatione, quę ſunt vel à Relatis vel priuantibus. à Relatis: vt,

*Tum ſeruum ſcis te genitum blandéque fateris,*
*Cum dicis dominum Soſibiane patrem.*

A priuantibus vt,

*In precio precium nunc eſt, dat cenſus honores:*
*Cenſus amicitias, pauper vbique iacet.*

Sic contrariorum contraria ſunt conſequentia.

*Quæſt.* Num contrariorum argumenta ad huius categoriæ explicationem conducunt?

*Reſp.* Maximè.

*Quæſt.* Oſtende quæſo, quomodo argumenta poſſunt colligi à relatis.

*Reſp.* Relatorum argumentum poteſt eſſe huiuſmodi: pater eſt qui genuit, ergo filius eſt qui genitus eſt.

*Quæſt.* Quomodo ab aduerſis ducam argumentum?

*Reſpon.* Albedo viſum diſijcit, ergo Nigredo viſum colligit.

*Quæſt.* Quomodo à priuantibus?

*Reſp.* Lux viſui grata eſt, ergo tenebræ viſui ingratæ ſunt.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0062-1

*Quæſt.* Nunc à contradicentibus argumentare.

*Reſp.* Facienti officium debetur beneficium; ergo non facienti officium non debetur beneficium.

Sed nota bene, Axioma à contrarijs verum eſt in Reciprocis, at in non reciprocis varium eſt & inconſtans. Vt in relatis non ſequitur. pater eſt homo, ergo filius eſt non homo. in aduerſis: Albedo eſt color, ergo Nigredo eſt non color. In priuantibus. Lux viſum afficit; ergo tenebræ viſum non afficiunt. In contradicentibus: Quicquid eſt Homo, eſt Animal: ergo quicquid non eſt Homo, non eſt Animal. Vel non ſequitur, quicunque vigilat viuit: ergo quicunque dormit mortuus eſt. *Reciproca dicuntur quæ poſſunt conuerti.*

*Quæſt.* Nunc agamus de Imparibus Quid ſunt Imparia?

*Reſp.* Imparia ſunt quorum quantitas non eſt vna. *Imparia.*

*Quæſt.* Quænam ſunt hic conſideranda?

*Reſp.* { Axiomata. / Partitionem.

*Quæſt.* Quænam ſunt Axiomata?

*Reſp.* Si æqualium alterum, tertio fuerit inæquale, & reliquum eidem erit inæquale. Exempli gratia: 6. & 6. ſunt inter ſe æqualia. Si ergo prior numerus 6. ſit 2. inæqualis, ſequitur & alterum numerum (nimirum 6.) eſſe 2. inæqualem. 1.

Item ſi inæqualibus æqualia addantur, tota erunt inæqualia. Vt 6. & 2. ſunt inæqualia: Vtriſque ſi addas 4. exurgent 10. & 6. quæ etiam ſunt inæqualia. 2.

Item ſi inæqualibus æqualia ſubducantur, reliqua erunt inæqualia: vt ſi à 10. & 6. ſubtrahas 4. reliqua erunt 6. & 2. quæ etiam ſunt inæqualia. 3.

*Quæſt.* Nunc partitionem conſideremus, Quotuplicia ſunt Imparia?

*Reſp.* Duplicia { Maiora. / Minora.

*Quæſt.* Quid ſunt Maiora?

*Reſp.* Sunt Imparia quorum quantitas excedit.

*Quæſt.* Quomodo dignoſcuntur Maiora? *Maiora.*

*Reſp.* Vel ex notis proprijs, vel ex Ariſt. Axiomate. 2. Topic. cap. 4. Si quod minùs videtur ineſſe, ineſt: inerit & quod magis.

*Quæſt*. Quid ſignificat, Minus ineſſe?

*Reſp*. Difficilius ineſſe.

*Quæſt*. Quænam ſunt notæ maiorum?

*Reſp*. Non ſolum, ſed etiam: Cum, Tum: Malo hoc, quam illud.

*Quæſt*. Da exempla?

*Reſp*. Cicero pro Muræna:

*Tollitur è medio* ———

Non ſolum iſta verboſa ſimulatio prudentiæ; ſed etiam illa domina rerum

——*Sapientia*.

Iuuen. *Malo pater tibi ſit Therſites dummodo tu ſis*
*Æacidæ ſimilis, Vulcaniaq; arma capeſſas,*
*Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.*

*Quæſt*. Quomodo argumentarer ex Ariſtotelis Axiomate?

*Reſp*. Hoc animaduertendum eſt: orationem à Maioribus ſemper creſcere, vt Terent.

Th. *Magnas verò agere gratias Thais mihi?*
Gn. *ingentes*. Th. *Ain' tu? Læta eſt?* Gn.
*Non tam ipſo quidem dono, quàm abs te datum eſſe,*
*Id verò ſeriò triumphat.* ———

*Quæſt*. Quomodo creſcit hæc oratio?

*Reſp*. Plus eſt ingentes quam magnas gratias agere: & plus triumphare quam lætam eſſe, & plus authore muneris quàm munere ipſo delectari.

*Quæſt*. Habétne Argumentum á maiore ſua conſectaria?

*Reſp*. Habet: ſed tantùm affirmantia.

*Minora*. *Quæſt*. Quid ſunt Minora?

*Reſp*. Sunt Imparia, quorum quantitas exceditur.

*Quæſt*. Quot ſunt Notarum genera ex quibus Minora percipiantur?

*Reſp*. Duo. { Implicitum. / Explicitum.

*Quæſt*. Quodnam eſt Implicitum?

*Reſp*. Quod vno verbo eoque obſcuro proponitur. Cuiuſmodi ſunt, non ſolum; ſed ne: Ante illud, quam hoc.

*Quæſt*. Da exemplum?

*Reſp*.

*Reſp.* Cice. 2. Catil. Nemo non ſolùm Romæ, ſed ne vllo in angulo totius Italiæ, oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris fœdus aſciuerit. Virgilius,

*Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui,*
*Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.*

*Quæſt.* Quodnam eſt explicitum?

*Reſp.* Quod minorum argumentum perſpicuè explicat.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp.* Duplex, vel { Comparatio Grammatica. / Negatio parium. }

*Quæſt.* Da exemplum prioris?

*Reſp.* *Sæuior es triſti Buſiride, ſæuior illo,*
*Qui falſum lento torruit igne bouem.*

*Quæſt.* Quæ ſunt notæ poſterioris?

*Reſp.* Non conferendi. Vt: Omnes ex omni ætate, ſi in vnum locum conferantur, cum Seruio Sulpicio non ſunt conferendi. 2. Non tàm, quám: vt, Qui hoc dictitant, non tam queruntur quàm verentur.

3. Non tot, quot: vt Iuuen.

*Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot*
*Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.*

*Quæſt.* Quodnam eſt minorum axioma?

*Reſp.* Si quod magis videtur ineſſe, non eſt: neque inerit quod minus. *2. Top. 4.*

*Quæſt.* Quid eſt argumentatio à maiori?

*Reſp.* Eſt cum Enthymematis antecedens magis probabile eſt, quàm conſequens.

*Quæſt.* Quid eſt argumentatio à minori?

*Reſp.* Eſt cum Enthymematis antecedens minus probabile eſt quàm conſequens. Cæterum vt tandem concludam, non eſt ſpectanda in huiuſmodi argumentationibus quantitas duarum rerum inter ſe comparatarum, ſed quantitas duarum ſententiarum inter ſe comparatarum, ratione probabilitatis.

*Quæſt.* Comparata Quantitatis dilucidè ſunt tractata, reſtat vt de Qualitatis comparatione agamus. Quid ergo eſt Qualitas?

*Reſp.* Qualitas eſt qua res comparatæ dicuntur quales.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp.* Duplex, vel { Similium. / Diſſimilium.

*Quæſt.* Quid ſunt Similia?

*Reſp.* Quorum qualitas eſt eadem. Ariſtoteles 1. Topic. cap. 14.

*Quæſt.* Quis in Dialectica eſt eorum vſus?

*Reſp.* Valent ad inductionem, ſyllogiſmos & definitionem. 1. Topic. cap. 15. Et ad hunc locum non parum faciunt Chriſti parabolæ in ſacris, nec non Eraſmi ſimilia, &c.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Similitudo?

*Reſp.* Duplex, { Incluſa. / Explicata.

*Quæſt.* Quænam ſunt ſimilitudines incluſæ?

*Reſp.* Quæ vno verbo ſunt inuolutæ.

*Quæſt.* Quomodo hoc fit?

*Reſp.* Notis variis, quę ſunt vel { Nomine Similitudinis. / Negatione Diſſimilitudinis.

*Quæſt.* Quæ notæ ſub nomine ſimilitudinis comprehenduntur?

*Reſp.* Aduerbia ſimilitudinis apud Grammaticos, & Nomina ſimilitudinis, qualia ſunt:

*Similis, vt: Os humeroſq; Deo ſimilis—*

*Effigies, vt: Effigiem morum reliquit filium.*

*More, vt: Tempora labuntur more fluentis aquæ.*

*Inſtar, vt: Ille dies mihi inſtar immortalitatis fui, quo in patriam redii.*

*Tanquam: Mihi videris iſtam ſcientiam tanquam filiolam oſculari tuam.*

*Sicut: Sicut non ex hac vrbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur.*

*Quæſt.* Quæ notæ ſub negatione diſſimilitudinis continentur?

*Reſp.*

*Reſp.* Haud ſecus, & non aliter. Vt non ſecus ac ſi frater meus eſſet. Cic. Ego iſti, nihilo ſum aliter quam fui. Terent.

*Quæſt.* Quotuplex eſt explicata ſimilitudo?

*Reſp.* Duplex, vel { Simplex. / Multiplex.

*Quæſt.* Quid eſt Simplex?

*Reſp.* Cum ex ſimili, ſimile demonſtratur.

*Quæſt.* Quotuplex eſt ſimplex ſimilitudo?

*Reſp.* Duplex, vel { Diſiuncta. / Continua.

*Quæſt.* Quid eſt diſiuncta?

*Reſp.* Eſt, quando Termini quatuor reipſa diſtinguuntur. vt:

*Tale tuum carmen nobis diuine poeta,*
*Quale ſopor feſſis in gramine.* Vt 6. ad 12. ſic 18. ad 36.

*Quæſt.* Quinam ſunt hîc quatuor termini?

*Reſp.* Sopor, Feſſis, Nobis, Carmen. Vnde ſic argumentatur: vt ſopor ad feſſum, ſic carmen ad auditorem. Et in hoc genere ficta ſimilia (cuiuſmodi ſunt Apologi Æſopi) mirifice conducunt.

*Quæſt.* Qualis eſt continua ſimilitudo?

*Reſp.* Cum ſit, vt primus terminus ſit ad ſecundum, ſic ſecundus terminus ad tertium. Exemplo, vt 9. ad 6. ſic 6. ad 4.

*Quæſt.* Quænam ſunt præterea in ſimplici ſimilitudine conſideranda?

*Reſp.* Axiomata duo, & affectio ſeu relatio duplex. Æqualia ſunt ſimilia ad idē: & idē eſt ſimile ad æqualia. Contraq; ſimilia ad idē, & ad quæ idē ſimile eſt, ſunt æqualia: vt Aiax ſic Vlyſſes ad Achillis arma. Et contra, vt Achillis arma ad Aiacem, ſic ad Vlyſſem. 1.

Minora ſunt ſimilia ad æquè maiora, vt: ſi triplum ſit multiplum: Triens eſt multeſimus. πολλοστημόριον, Ramus vertit Multeſimum, ſecutus Lucretium lib. 6. 2.

*Multeſimum quod poteſt cadere in infinitum.*

*Quam ſit paruula pars, & quam multeſima conſtet.*

*Quæſt.* Quid de mutuis relationibus vel affectionibus eſt dicendum?

*Reſp.* Affectio duplex, eſt vel { ἀνάπαλιν Inuerſè. | ἐναλλὰξ Alternè.

*Vulgò Antecedentis & conſequentis.* Inuerſè, quando inuertitur ordo protaſeos & Apodoſeos tantùm, aut etiam terminorum. Et hîc axioma eſt: Si quædam ſimilia fuerint, inuerſè erunt ſimilia. Vt aurum ad ignem, ſic fides ad periculum. ἀνάπαλιν: vt periculum ad fidem, ſic ignis ad aurum.

*Vt 4. ad 20. ſic 6. ad 30. ἀνα. vt 30. ad 6 ſic 20. ad 4.*

ἐναλλὰξ, alternè: Quando ſimilitudinis datæ antecedens, comparatur antecedenti, & conſequens conſequenti. Axioma ergo eſt, ſi quædam ſimilia fuerint, alternè ſimilia erunt. Exempla: Vt aurum ad ignem, ſic fides ad periculum. Ergo alternè, vt aurum ad fidem, ſic ignis ad periculum. Et vt 5. ad 35. ſic 15. ad 105. ἐναλ. vt 5. ad 15. ſic 35. ad 105. & in exemplo præcedenti, vt 4. ad 20, ſic 6. ad 30. ἐναλ. vt 4. ad 6. ſic 20. ad 30.

*Quæſt.* Quid eſt multiplex ſimilitudo?

*Reſp.* Cum ex pluribus ſimilibus aliquid ſimile declaratur. Hæc appellatur inductio. Quæ eſt, qua ex pluribus (vel partibus vel ſpeciebus) vnum (vel totum, vel genus) vniuerſaliter colligitur. Rodolph.

*Inductio quid*

*Quæſt.* Quomodo ex partibus?

*Reſp.* Cicero pro Milone. Plebs Romana optimè de Milone ſentit, & equeſter ordo, & ſenatus: ergo totus pop. Rom. optimè ſentit de Milone.

*Quæſt.* Quomodo ex ſpeciebus?

*Reſp.* Cic. Pompeius habet virtutem, habet peritiam rei militaris, habet authoritatem, habet felicitatem: ergo habet cuncta Pompeius quæ in ſummo duce ſunt ſpectanda. Plura petas apud Platonem in Phædone, in Enthydemo & Gorgia.

*Quæſt.* Nunc agamus de Diſſimilibus. Quid ſunt ergo diſſimilia?

*Diſſimilia.* *Reſp.* Diſſimilia ſunt quorum qualitas eſt diuerſa.

*Quæſt.* Quotuplicia ſunt?

*Reſp.* Duplicia, vel { Simplex { Breue. | Explicatum. } | Multiplex }

*Quæſt.*

*Quæſt.* Quid eſt breuis diſſimilitudo?

*Reſp.* Quæ fit ſymbolis ſeu notis varijs.

*Quæſt.* Quot ſunt in breui conſideranda?

*Reſp.* Duo { Nomina diſſimilitudinis. / Negatio ſimilium.

*Quæſt.* Quænam ſunt notæ prioris?

*Reſp.* 1. Diſſimile, Vt: *Diſsimilis eſt debitio pecuniæ & gratiæ.*

2. Diſpar: vt, *O domus antiqua, quàm diſpari domino dominaris.*

3. Differens: *Hi omnes lingua, inſtitutis, legibus inter ſe differunt.*

4. Aliud vt: *Alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur.*

5. Secùs, vt: *Quoniam cœpi ſecus agere, atque initio dixeram.*

*Quæſt.* Quænam ſunt notæ negationis ſimilium?

*Reſp.* 1. Non ſimilis. Vt, *Non eſt philoſophia ſimilis artium reliquarum.*

2. Non talis: *Non talis filius, qualis pater.*

3. Non idem: *Non eadem eſt ætas, non mens.* Horat.

4. Non tanquam: *Sit annulus tuus, non tanquam vas aliquod, ſed tanquam ipſe tu.*

*Quæſt.* Quænam ſunt conſideranda in explicatis diſſimilibus.

*Reſp.* Axiomata oppoſita Axiomatis Similium & Tractatio.

1. Inæqualium maius ad idem maiorem rationem habet, quàm minus. Et idem ad minus habet maiorem rationẽ quàm ad maius. Contrà: quod maiorem rationem habet, ad idem eſt maius: & ad quod idem habet maiorem rationem, eſt minus. Exempla: 4. & 6. ſunt inæqualia: horum ergo 6. maiorem habent rationem ad 10. quàm 4. & idcirco 6. ſunt maiora quàm 4. Deinde 10. maiorem habent rationem ad 4, quàm ad 6. Cõtra: quia 6. maiorem habent rationem ad 10, quàm 4. ſunt maiora, & quoniam 10. habent maiorem rationem ad 4. quàm ad 6. idcirco 4. ſunt minora.

Si æqualium rationum altera ſit inæqualis tertiæ, reliqua eidem erit inæqualis. Vt 4. & 4. ſunt æqualia, horum numerus prior, videlicet 4 inæqualia ſunt 7. ergo poſterior numerus, videlicet 4. erunt etiam inæqualia 7.

*Quæſt.* Quænam eſt tractatio quam nobis conſiderandam in diſſimilibus propoſuiſti?

*Reſp.* Tractatio diſſimilium arguendo fit { cum nota aliqua. / ſine nota aliqua.

Cum nota: Certus dies non vt ſacrificij, ſic conſilii expectari ſolet.

Sine nota: Cuius Redditio hic appellatur Antapodoſis.

*Quæſt.* Quænam eſt multiplex diſſimilitudo?

*Reſp.* Eſt quæ pendet ex diſſimilibus { Veris. / Fictis.

Vera ſunt illa Phil. 2. de Varronis Caſſinate fundo, apud Saluſtium: Cæſaris & Catonis diſſimiles mores.

Ficta ſunt illa Æneid. 6. de immaturo Marcelli funere, & Æneid. 2. de Hectore fœde trucidato.

*Quæſt.* Vbi de diſſimilibus agit Ariſtoteles?

*Reſp* 1. Top. cap. 14.

*Quæſt.* Oſtende comparatorum Tabulam Analyticam.

*Reſp.* Hem tibi.

¶¶¶

*Quæſt.* Hucuſque egimus de Argumentis primis, nunc de Argumentis à primo ortis agendum eſt. Dic ergo quot & quæ ſunt illa Argumenta quæ à primis ſunt orta?

*Reſp.* Tria ſunt, { Nomen. / Diſtributio. / Definitio.

*Quæſt.* Quid eſt Nomen?

*Reſp.* Nomen eſt vox, ad rem ſignificandam, conſenſu hominum inſtituta. Rodolphus.

Hic, huius loci vſus eſt conſiderandus, qui vel à nomine vel nominis interpretatione ductus, plurimum valet ad auditorum animos excitandos, & ad optimam argumentandi rationem.

*Quæſt.* Quot

qua
rus
vi-
am
ari-
Sa-
Æ-
de
æ
o-
vel
m
.
ot

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0071-1

# TABVLA COMPARATORVM.

- Comparata ſunt quæ inter ſe comparantur, ſuntq; vel
  - Quantitatis quæ eſt comparatio qua res comparatæ dicuntur Quantæ eaq; eſt duplex, vel
    - Parium habentium
      - Axiomata 2. Top. 4. vera in reciprocis.
      - Conſectaria è contrarijs videlicet: à
        - Relatis.
        - Aduerſis.
        - Contradicentibus.
        - Priuantibus.
    - Imparium quorum vide
      - Axiomata.
      - Partitionem in
        - Maiora quæ dignoſcuntur vel ex
          - Notis, vt: Non ſolum, ſed etiam, &c
          - Axiomate 2. Top. 4.
        - Minora in quibus videnda ſunt genera vel
          - Implicitum, notis tantum: Vt non ſolum, ſed ne.
          - Explicitum, cuius duplex eſt notitia, vel ex
            - Comparatione Grãmatica, vt: Sęuior es triſti Buſyride.
            - Negatione parium.
  - Qualitatis quæ eſt vel
    - Similiũ quæ ſunt vel
      - Implicitorũ quę dignoſcuntur vel ex
        - Nominę ſimilitudinis, quæ ſunt vel
          - Nomina } Gram.
          - Aduerbia } Gram.
        - Negatione diſſimilitudinis.
      - Explicatorum quæ ſunt ſimilia vel
        - Simplicia q̃ ſunt vel
          - Diſiuncta
          - Continua
          - In quibus etiam conſideranda ſunt
            - Axiomata 2.
            - Mutuę relationes quæ ſunt vel
              - ἀνάπαλιν, i. inuersè.
              - ἐναλλὰξ, alternè.
        - Multiplicia ex quibus conficitur inductio.
    - Diſſimiliũ quę ſunt vel
      - Simplicia
        - Breue, qd' dignoſcitur vel ex
          - Nomine diſſimilitudinis
          - Negatione Similium
          - Quæ ſunt notæ; vt diſſimile, diſpar. &c.
        - Explicitum, vbi videnda ſunt
          - Axiomata.
          - Tractatio Similiũ vel
            - Cum nota aliqua.
            - Sine nota aliqua.
      - Multiplicia quæ pendent ex diſſimilibus
        - Veris.
        - Fictis ex poetis vel aliunde depromptis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0073-2

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0074-8

*Quæſt.* Quot ſunt in nomine ſpectanda?

*Reſp.* Duo: { Coniugatum. / Notatio.

*Quæſt.* Quid eſt coniugatum?

*Reſp.* Eſt nomen ab eodem principio varie deductum, vt, Iuſtitia, Iuſtus, Iuſtè. Et in coniugatis ſymbolum eſt conſentaneorum argumentorum.

*Quæſt.* Quo nomine apud Ariſtotelem appellantur?

*Reſp.* Vocantur ab Ariſtotele σύςοιχα, coordinata. Et caſus Nominis apud Ariſtotelem ſunt tantum Aduerbia è nominibus nata. 2. Top. 3. quam differentiam in Rhetoricis poſtea contempſit.

*Quæſt.* Eſtne doctrina Nominum, Logica doctrina?

*Reſp.* Eſt: quia doctrina Logica verſatur circa entia & non entia.

Et hæc doctrina ſæpenumero locum habet in Sarcaſmis & Argumentis ita à nominibus deductis, vt ſæpe riſum moueant: vt in Nomina verris & Chryſogoni Cicero eſt cauillatus.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* Auguſtus de eo qui locum paternæ ſepulturæ arabat: hoc eſt verè (inquit) patrem colere. Et de eo qui filios ex ancilla ſua ſuſcipiebat, (dixit quidam) Hic eſt verus familias pater.

*Quæſt.* A quibus oritur Argumentis primis coniugatum?

*Reſp.* E Conſentaneis tantum, vel à { Cauſa. / Effectis. / Subiectis. / Adiunctis.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* *Aurea ſunt verè nunc ſecula, plurimus auro*
*Venit honos; auro conciliatur amor.*

*Quæſt.* A quibus conſentaneis ducitur Argumentum hoc?

*Reſp.* Ab abſolutè conſentaneis, videlicet, à cauſa ad effecta. Quaſi diceret,

——*Aurum eſt aurei ſeculi cauſa.*

Et à modo quodam Conſentaneis illud eſt Terentij:

*Homo ſum, humani nihil à me alienum puto.*
Hîc homo eſt Subiectum & humanitas Adiunctum.

*Quæſt.* Quid eſt notatio?

*Reſp.* Eſt nominis interpretatio.

*Quæſt.* Cur tu non illam appellas (cum Græcis) ἐτυμολογίαν, id eſt, verbum ex verbo veriloquium?

*Reſp.* Quia verba ſunt rerum notæ. Deinde quia hanc Ariſtoteles appellat σύμβολον, quod Latinè eſt, nota.

*Quæſt.* Nonne tu de rebus agis ſub hoc vocabulo?

*Reſp.* Non quidem: quia rerum notationes ſunt ipſa nomina. Sed ſub notatione, nominum ipſorum rationes, origines atque deductiones comprehendo.

*Quæſt.* Ex quibus Argumentis primis ſumitur notatio?

*Reſp.* Ex omnibus.

*Quæſt.* Eſtne hæc doctrina, Logica?

*Reſp.* Eſt. Et Dialectici opus eſt, rectè nomina rebus imponere, & impoſita interpretari. Plato in Cratyl.

*Quæſt.* Da exemplum huius notationis?

*Reſp.* *Prima dies tibi Carna datur, dea cardinis hæc eſt:*
*Nomine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.*

*Quæſt.* Huius Categoriæ tabulam ſubijcito.

*Reſp.* Nomen eſt vox ad rem ſignificandã conſenſu hominum inſtituta, ſub quo ſunt
- Coniugata quæ ducuntur ab argumentis conſentaneis, vel
  - Abſolutè, vt à
    - Cauſa.
    - Effectis.
  - Modo quodã, vt à
    - Subiectis.
    - Adiunctis.
- Notatio quæ ducuntur ab omnibus, vt à
  - Cauſa.
  - Effectis.
  - Subiectis.
  - Adiunctis.
  - Diſſentaneis.
  - Comparatis.

Quæſt.

*Quæſt.* Nunc cætera argumenta, orta à primis, aggrediamur, quæ ſunt diſtributio, definitio.

*Reſp.* Placet.

*Quæſt.* Quid eſt diſtributio?

*Reſp.* Eſt diſtinctio totius in partes.

*Quæſt.* Quid eſt totum?

*Reſp.* Quod continet partes. Ariſt. 3. Phyſ. 6.

*Quæſt.* Quid eſt pars?

*Reſp.* Quod continetur à toto. 5. Phyſ. 25.

*Quæſt.* Quænam eſt appellatio diſtinctionis totius in partes?

*Reſp.* Diſtributio.

*Quæſt.* Quæ verò, partium collectionis?

*Reſp.* Inductio.

*Quæſt.* A quibus argumentis ſumitur?

*Reſp.* Ab argumentis toto quidem cõſentaneis, inter ſe autem diſſentaneis. Itaque tantò erit accuratior, quantò partiũ, & cum toto conſenſio, & inter ſe diſſenſio maior fuerit.

*Quæſt.* Quis diſtributionem primus adinuenit?

*Reſp.* Socrates. Ariſt. Philoſoph. 3. cap. 4.

*Quæſt.* Quos habuit aduerſarios?

*Reſp.* Platonem, & Speuſippum, & Quintilianum Ariſt. 1. priorum. c. 32. & 2. Poſt. 5. & 14.

*Quæſt.* Quorum ſunt imperiti partitores ſimiles?

*Reſp.* Similes ſunt inſulſorum coquorũ qui confringunt carnes, quas ſcienter ſecare debeant.

*Quæſt.* Sed quanti æſtimandi ſunt illi qui peritè diſtribuere poſſunt?

*Reſp.* Si quem offendero (inquit Socrates) qui ſcitè vnum, multaque diſcernere poſſit, hunc conſectabor à tergo veſtigiis tanquam Deum. Plato in Phædro.

*Quæſt.* Quænam ſunt diſtributionis vitia?

*Reſp.* Sunt duo. 2. Poſt. 5. Si quid in hac redundet: & ſi quid deſit. Itaque conuertitur in legitima diuiſione totum cum partibus, eſtque reciprocum & æquale, ſicut & Definitio cum definito. 2. Poſt. 4. vt exemplo, Diuide octo, in duas partes æquales, quæ ſunt 4. & 4. Nunc ſequitur ex regula totum eſſe partibus æquale, & partes etiam toti æquales.

*Quæſt.* Quænam eſt legitima diuiſio?

*Reſp.* Quæ fit in duas partes. Vnde Dichotomia.

*Quæſt.* Cur illa legitima non eſt diuiſio quæ fit in partes plures, veluti quatuor vel quinque partes?

*Ariſt. 2. poſt. 14.*

*Reſp.* Quia per contraria fieri debet diuiſio, & vnum vni tantum eſt contrarium, ergo ſequitur neceſſario diſtributionem quæ fit in duo eſſe legitimam.

*Oppoſita quorum non eſt medium.*

*Quæſt.* Quænam eſt diſcrepantia inter diuiſionem & partitionem.

*Reſp.* Propriè: diuiſio eſt generis in ſpecies, partitio totius in partes.

*Quæſt.* Quænam ſunt Axiomata in diſtributione conſideranda?

*Reſp.* Axiomata ſunt partim affirmantia, partim & negantia: Affir. in quo totum eſt, in illo & partes eſſe oportet: In quibus partes ſunt, & totum neceſſe eſt ineſſe. Neg. Si partium vna deſit, ſequitur totum non eſſe: at non contra, videlicet: Si totum non ſit, partes non eſſe.

*Quæſt.* Quis ad Dichotomiam hanc (quam tu abſolutam diuidendi rationem ſtatuis) peruenire poteſt, quum Plato illam difficilem & quam ipſe præſtare non potuit in regno Platonis teſtatus eſt, & quam Ariſtoteles plane impoſſibilem iudicabat?

*Reſp.* Is qui rerum cauſas, naturas, genera, ſpecies, & differentias nouit, & qui ſedulo in Dialectica verſatus ſit.

*Quæſt.* Quotuplex eſt diſtributio?

*Reſp.* Duplex, ex
- Abſolute conſentaneis, vt à
  - Cauſa.
  - Effectis.
- Modo quodã conſentaneis, vt à
  - Subiectis.
  - Adiunctis.

*Diſtributio ex Cauſis.*

*Quæſt.* Quid eſt diſtributio ex cauſis?

*Reſp.* Eſt quando partes ſunt cauſa totius. Et hoc argumenti genus poteſt tractari vel à partibus ad totum (& tunc dicitur Inductio) vel à toto ad partes.

*Quæſt.* Da exemplum argumentandi à partibus ad totum?

*Reſp.* Catullus. *Salue, nec minimo puella naſo,*
*Nec bello pede, nec nigris ocellis,*
*Nec longis digitis, nec ore ſicco,*

Nec

*Nec ſane nimis elegante lingua:*
*Decoctoris amica Formiani:*
*Ten' prouincia narrat eſſe bellam?*
*Tecum Lesbia noſtra comparatur?*
*O ſeclum inſipiens & infacetum!*

Sed diſtributio integri in ſua membra hic laudatur.

*Quæſt.* Quid eſt integrum?

*Reſp.* Integrum eſt totum, cuius partes ſunt eſſentiales.

*Quæſt.* Quid eſt membrum?

*Reſp.* Eſt pars integri.

*Quæſt.* Quodnam eſt ex cauſis diſtributionis Axioma?

*Reſp.* Totum maius eſt ſua parte.

*Quæſt* Poteſtne diſtributio fieri ex omnibus cauſis:

*Reſp.* Ita quidem.

*Quæſt.* Quomodo fit à cauſa efficiente?

*Reſp.* Philoſophia ſcripta eſt partim à Platone, partim ab Ariſtotele: hæc diſtributio fit à cauſa efficiente.

*Quæſt.* Quomodo fit à materia?

*Reſp.* Vaſorum Regiorum alia aurea, alia argentea. Hæc diuiſio eſt ex materia.

*Quæſt.* Quomodo à forma?

*Reſp.* Vaſorum alia ſculpta, alia ficta, vel alia rotunda, alia quadrata: hæc diſtributio à forma duci videtur.

*Quæſt.* Nunc vero quomodo fit diſtributio à fine?

*Reſp.* Græci ad ludos Olympicos conueniunt, gratia gloriæ, pecuniæ, ſcientiæ. *Pythag. Taſt. 5.*

*Quæſt.* Agamus nunc de diſtributione ex effectis?

*Reſp.* Eſto.

*Quæſt.* Quid eſt diſtributio ex effectis? *Diſtributio ex Effectis.*

*Reſp.* Eſt quando partes ſunt effecta. Vt ſi dixeris, Nautas in naui eſſe otioſos, ego vero non otioſos eſſe contenderem: ſic áb effectis poſſum argumentari diſtribuendo nautarum labores. Nautarum alij malos ſcandunt, alii per foros curſitant, alij ſentinam exhauriunt, gubernator autem in puppi clauum tenet. Ergo non ſunt otioſi. Et diſtributio generis in ſpecies hîc excellit.

*Quæſt.* Quid eſt genus?

*Reſp.* Genus eſt totum partibus eſſentiale. Ramus. Vel ſi

mauis, Genus eſt cui ſubiicitur ſpecies. Porphyr.

*Quæſt*. Quotuplex eſt genus.

*Reſp*. Duplex, { Generaliſſimum. / Subalternum.

*Quæſt*. Quid eſt genus generaliſſimum?

*Reſp*. Eſt cuius nullum eſt genus. Porph. vt in Logicæ inuentione argumentum eſt genus generaliſſimum argumentorum inſitorum & aſſumptorum, vel artificialium & inartificialium.

*Quæſt*. Quid eſt genus ſubalternum?

*Reſp*. Quod ſpecies huius, illius autem genus dici poteſt.

*Quæſt*. Quî fieri poteſt vt quod ſit genus vnius ſit ſpecies alterius?

*Reſp*. Homo eſt ſpecies animalis & genus ſingulorum hominum: & cauſa, eſt genus materiæ & formæ, & ſpecies argumenti abſolute conſentanei.

*Quæſt*. Quotuplex eſt genus ſubalternum?

*Reſp*. Duplex eſt, vel { Intermedium. / Infimum.

*Quæſt*. Quid eſt intermedium?

*Reſp*. Eſt quod inter generaliſſimum vel genus ſummum & infimum interiectum eſt: ac proinde non ſolum ſupra ſe ſed infra ſe, aliud genus habet. Vt corpus animal.

*Quæſt*. Quid eſt infimum genus ſubalternum?

*Reſp*. Quod cæteris omnibus cognatis generibus ſubiectum eſt; ac proinde nullum aliud genus infra ſe habet: vt homo.

*Quæſt*. Non ſunt genus & integrum idem?

*Reſp*. Non.

*Quæſt*. Quomodo differunt?

*Reſp*. Integrum ſumit eſſentiam è membris, genus vero eſſentiam ſpeciebus tribuit. Illic membra conficiunt totum: hîc ſpecies conficiuntur à genere. Itaque definitio generis conuenit ſpeciei: Definitio autem integri non conuenit membro: Relatioque integri & membrorum, contraria eſt relationi generis & ſpecierum.

*Quæſt*. Quas ponit regulas Ariſtot. argumentandi à genere ad ſpecies.

*Reſp*. Quæ

*Reſp.* Quædam ponit Ariſtoteles Axiomata { Affirmatum vnum, / Negatum alterum, } Horum tamen prius vitio ſuo non carere mihi videtur. Affirmatum eſt huiuſmodi, neceſſe eſt, de quibus genus dicitur de iis ſpecierum aliquam dici. *2.Topic.2.*

*Quæſt.* Quid in hoc Axiomate reprehendis?

*Reſp.* Partem poſteriorem, quæ nimis eſt anguſta. Genus enim generaliter vel affirmatum vel negatum, ſpeciem quamlibet concludit. Vbi igitur in Axiomate dixit: aliquem ſpecierum, dixiſſet: ſpeciem omnem: vt ſi omne animal viuit, omnis homo etiam viuit: non tamen contra negatum. Quod generi non ineſt, neque ſpeciei: vt non eſt arbor, ergo non eſt fraxinus, at non contra: vt non eſt fraxinus, ergo non eſt arbor, poteſt enim eſſe vel quercus vel morus. Vel: non eſt animal, ergo non eſt homo: at non contra, vt non eſt homo, ergo non eſt animal, poteſt enim eſſe leo vel canis.

*Quæſt.* Quid eſt ſpecies? *Species.*

*Reſp.* Species eſt pars generis, Ramus: vel ſpecies eſt quod ſub aſſignato genere eſt. Porphyr. Sic dicimus hominem & beſtiam ſpecies animalis, & ſingulos homines, ſpecies hominis. Singulos leones ſpecies leonis.

*Quæſt.* Aliter Porphyrius ſpeciem definit: nempe ſpeciem eſſe quod prædicatur de pluribus differentibus numero in quæſtione quid eſt.

*Reſp.* Sophiſtica eſt hæc definitio, quod differre numero nihil aliud eſt quam differre ſpecie, & quæſtio quid eſt, potius ad definitionem pertinet quam ad ſpeciei eſſentiam. Et Ariſtotel. 2. Phyſic. 3. Quicquid differt, (inquit) differt aut genere aut ſpecie. hanc ergo commentitiam numeri differentiam non agnoſcit ibi, nec vnquam κατὰ παντὸς agnoſcere debuiſſet.

*Quæſt.* Quomodo diuiditur ſpecies?

*Reſp.* Species eſt, vel { Subalterna. / Specialiſſima.

*Quæſt.* Quid eſt ſubalterna ſpecies?

*Reſp.* Quod ſpecies huius, genus autem illius eſſe poteſt. Vt cauſa ſpecies eſt Argumenti abſolutè conſentanei, & genus etiam materiæ & formæ.

*Quæſt.* Quid eſt ſpecies ſpecialiſſima?

*Reſp.* Quæ indiuidua eſt in ſpecies alias, vt materia & forma ſingulares.

*Quæſt.* Quænam ſunt ſpeciei Axiomata?

*Reſp.* Quintilianus lib. 5. cap. 10. duo commemorat. Vnum: Species firmam probationem habet generis, vt iuſtitia eſt, eſt vtique virtus. Alterum: Species infirmam refutationem habet generis; vt ſi iuſtitia non ſit, virtus non eſt. poteſt enim eſſe temperantia. Et ſic de genere duo poſſunt eiuſmodi Axiomata proponi. vnum: Genus infirmam probationem habet ſpeciei, vt ſi virtus ſit, non ſequitur eſſe iuſtitiam. 2. Genus firmam habet refutationem Speciei, vt ſi non ſit virtus, ſequitur non eſſe iuſtitiam. Cætera vide 2. Topic. 2.

*Quæſt.* Ex quibus Argumentis oriuntur genus & ſpecies?

*Reſp.* Sunt Notæ cauſarum & effectorum. Ita vt genus ſit cauſa ſpeciei, & ſpecies ſit effectum generis. Et huc ſpecialia exempla ſunt trahenda, & ſuo generi accommodanda. Experientia enim, obſeruatio, ſenſus, inductio, ſunt ſecundum Ariſtotelem omnium artium principia. lib. 1. Poſt. cap. 14. & 2. Poſt. cap. vltimo.

*Quæſt.* Dixiſti in ipſa diſtributionis partitione, diuiſionem oriri ab Argumentis abſolutè conſentaneis, & modo quodam conſentaneis, de illis mihi abundè ſatisfactum eſt, reſtat vt de diſtributione ab argumentis modo quodam conſentaneis, hoc eſt de diſtributione à ſubiectis & adiunctis agamus. Reſponde ergo, quomodo fit hæc diſtributio?

*Diſtributio è Subiectis.*

*Reſp.* Cum partes ſint ſubiecta vel adiuncta.

*Quæſt.* Da huius diſtributionis exemplum?

*Catullus in Epithalamio Manlii & Iuliæ.*

*Reſp.* *Virginitas non tota tua eſt, ex parte parentum eſt:*
*Tertia pars matri data, pars data tertia patri,*
*Tertia ſola tua eſt: noli pugnare duobus,*
*Qui genero ſua iura ſimul cum dote dederunt.*

*Quæſt.* Quodnam eſt ſubiectū vnde oritur hæc diſtributio?

*Reſp.* Virgo quam alloquutus eſt Poeta, eſt virginitatis ſubiectum, Pater & mater ad quos attinet manifeſta ſunt.

*Quæſt.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0082-2

*Quæſt.* Poſſuntne totum & partes appellari in his argumẽtis?

*Reſp.* Non ſi propriè loqui velimus. Quia ſubiectum poſſit ab adiunctis, ſaltem cogitatione ſeparari.

*Quæſt.* Vllamne Ariſtot. in ſua Logica, huius diſtributionis facit mentionem?

*Reſp.* Nullam certè. Andronicus vero & poſt Andronicum Boëtius huius vtriuſque doctrinam propoſuit. Eſt enim hoc diſtributionis genus, vt doctrinæ accuratione in perfectius: ſic vſu multo frequentius. Et diſtributio è ſubiectis reſpondet quodammodo diſtributioni integri in membra.

*Quæſt.* Tranſeamus ad diſtributionem ab adiunctis. Hæc quid ſit rogo? *Diſtributio ab Adiunctis.*

*Reſp.* Eſt quando partes ſunt adiuncta: vt hominum alij ſani, alij ægri, alij diuites, alij pauperes.

*Quæſt.* Quænam hîc ſunt adiuncta?

*Reſp.* Sanitas, ægritudo, diuitiæ, paupertas.

*Quæſt.* Quomodo vulgo appellatur hæc diſtributio?

*Reſp.* Vocatur diuiſio ſubiecti in Accidentia.

*Quæſt.* Nunc Tabulam depingas precor:

*Reſp.* Diſtributio eſt diſtinctio totius in partes & oritur ab argumentis, vel
- Abſolutè cõſentaneis vt è
  - Cauſis quãdo partes ſunt cauſæ totius. Hîc vide
    - Axioma totum eſt maius ſua parte.
    - Tractationem vel à
      - Partibus ad totum.
      - Toto ad partes.
  - Effectis quãdo partes ſunt effecta. Hîc diuiſio generis in ſpecies excellit. Hîc vide
    - Originem, genus enim & ſpecies ſunt notæ cauſarum & effectorũ.
    - Vſum vel ex
      - Simplici diuiſionis forma quæ difficilis eſt.
      - Separatim, alterum ex altero, vt ex
        - Genere ſpecies.
        - Speciebus genus.
- Modo quodam conſentaneis, vt
  - Subiectis cum partes ſint ſubiecta. de his vide ſubiecta.
  - Adiunctis quando partes ſunt adiuncta.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0083-8

*Quæſt.* Quoniam diuina clementia hucuſque de maximè in Dialectica quæſtionibus neceſſarijs actum eſt, quæſo cætera etiam quæ occurrere poſſunt & maxime præconducunt ad abſolutam Logices cognitionem, explicare ne ægrè feras.

*Reſp.* Concedo.

*Quæſt.* Ex argumentis artificialibus vel inſitis, definitio diſcutienda reſtat. Dic ergo quid ſit definitio?

*Reſp* Definitio eſt ratio qua explicatur quid res ſit: & eſt cum definito reciproca. Vel, eſt cùm explicatur quid res ſit.

*Quæſt.* Si ita ſit, valet argumentatio à definitione ad definitum, & viciſſim à definito ad definitionem.

*Reſp* Sanè quidem: tum affirmando, tum negando.

*Quæſt.* Quis eſt eius vſus?

*Reſp.* Vſus definitionis ad declarandum plurimus eſt: ad argumentandum verò & demonſtrandum perrarus.

*Quæſt.* Quæ ſunt in definitione requirenda?

*Reſp.* Vt ſit { D. lucida, Breuis, Propria, } vel vt apertius loquar: Definiendi leges ſunt vt definitio, nec plura, nec pauciora complectatur quam definitum: ſed de quocunque vnum dicitur, dicatur & alterum: Deinde, vt quid ſit res, hoc eſt, ſubſtantiam eius explicet: Denique vt aperta ſit, hoc eſt, neque ambiguis nominibus, quæ in multas ducuntur ſignificationes; neque obſcuris aut ex longinquo tranſlatis, conſtet. Rodolph.

*Quæſt.* Vbi de hac Ariſt?

*Reſp.* In prioribus & poſt. Analyticis, in Topicis lib. 5. 6. 7.

*Quæſt.* Quotuplex eſt definitio?

*Reſp.* Duplex, vel { Perfecta. Imperfecta.

*Quæſt.* Quid eſt perfecta definitio?

*Reſp.* Eſt vniuerſale ſymbolum cauſarum eſſentiam rei & naturam conſtituentium. vel, eſt ratio conſtans è ſolis cauſis eſſentiam rei conſtituentibus.

*Quæſt.* Quid intelligis per cauſas?

*Reſp.* Genus & formam.

*Quæſt.* Quot ſunt partes perfectæ definitionis?

*Reſp.* Duæ.

*Reſp.* Duæ { Genus. / Differentia vel forma.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* Homo eſt animal rationale.

*Quæſt.* Quodnam eſt genus in hac hominis definitione?

*Reſp.* Animal.

*Quæſt.* Dicebas iam nunc genus & cauſam eſſe idem, quæ igitur cauſa hominis, eſt hoc genus?

*Reſp.* Materies & pars formæ: cum qua ſi addas rationale, totam formam hominis comprehendes, vitæ, ſenſus, rationis facultate.

*Quæſt.* Quid eſt Differentia?

*Reſp.* Eſt poſterior definitionis pars, quæ generi addita, definitionem complet & abſoluit; & de definito cum genere coniuncto, prædicatur in quæſtione quale: vt, quale animal eſt homo? Rationale. *Differentia.*

*Quæſt.* Quare vocatur differentia?

*Reſp.* Quia per eam ſpecies definita, à cæteris ſpeciebus differt, à quibus alias ratione generis non differt.

*Quæſt.* Suntne differentia & forma idem?

*Reſp.* Sunt.

*Quæſt.* Ergo differentia dat eſſe rei?

*Reſp.* Per veram differentiam res eſt id quod eſt, & diſtinguitur à cæteris.

*Quæſt.* Non poteſt vera definitio tradi ſine vera differentia?

*Reſp.* Omnibus numeris abſoluta, hoc eſt in qua nihil deſiderari queat, non poteſt. Et tamen quia verarũ differentiarum penuria laboramus, dicimus illam veram eſſe definitionem, quæ rei alicuius ſi non veram, tamen verę proximam formam complectitur. Et eam differentiam pro vera habemus, quæ proxima veræ videtur accedere. Rodolph.

*Quæſt.* Non eſt (Rationale) propria & vera hominis differentia?

*Reſp.* Sunt qui putant, ſunt qui negant. Sed in reliquis omnibus nemo ferè eſt, qui conſtanter vllius rei differentiam veram cognoſci poſſe affirmet. Rodolph.

*Quæſt*. Quot ſunt modi definiendi?

*Reſp*. Duo. Vel enim definitio conficitur per genus ſummum, & differentias generales ordine contextas vna cum ſpecifica: vel per genus proximum & differentiam ſpecificam.

*Quæſt*. Da exemplum prioris?

*Reſp*. Homo eſt ſubſtantia, corporea, animata, ſentiens, rationalis.

*Quæſt*. Da exemplum poſterioris?

*Reſp*. Homo eſt animal rationale.

*Quæſt*. Videtur per priorem modum, qui laborioſior eſt, veniri ad poſteriorem?

*Reſp*. Sic eſt. Nam genus ſummum, vna cum differentiis generalibus vſq; ad ſpecificam, eſt definitio generis proximi.

*Quæſt*. Quomodo inuenitur genus proximum & differentia vltima?

*Reſp*. Inſtrumento diuiſionis, incipiendo à genere ſummo, & progrediendo ordine ad ſpeciem definiendam.

*Quæſt*. Quomodo hoc fit?

*Reſp*. Primo omnium conſiderandum in quonam prędicamento vel categoria, ſit ea res quam definire inſtituis, deinde per diuiſionem ordine progrediendum.

*Quæſt*. Reſponde ergo in qua categoria eſt homo?

*Reſp*. In ſubiecto vel ſubſtantia. Homo enim eſt ſubiectum vel ſubſtantia.

*Quæſt*. Sed Angelus eſt ſubſtantia?

*Reſp*. Subſtantia eſt corporea vel incorporea, Homo eſt ſubſtantia corporea, Angeli vero incorporea.

*Quæſt*. Sed Lapis eſt ſubſtantia corporea?

*Reſp*. Iterum diuido: Subſtantia corporea eſt animata vel inanimata, Lapis eſt ſubſtantia corporea inanimata, at homo animata.

*Quæſt*. Sed arbores etiam animatæ ſunt?

*Reſp*. Rurſus ad diuiſionem confugio, & dico: corpus animatum eſt, aut { Sentiens. / non Sentiens.

Homo eſt corpus animatum ſentiens.

*Quæſt*. Equus autem ſentit?

*Reſp*.

*Reſp.* Tandē diuido: Animalia ſunt aut { Rationalia, / Irrationalia, } Homo.

Animal eſt habens rationem, cætera ratione carent. Nunc quære num vllum ſit animal præter hominem rationis capax, nullum reperies, concludas igitur neceſſe eſt hominem eſſe animal rationale.

*Quæſt.* Alio agam exemplo. Iuſtitia in qua categoria?

*Reſp.* In adiuncto. Habitus enim eſt adiunctum & qualitas: & iuſtitia eſt qualitas.

*Quæſt.* Sed color eſt qualitas?

*Reſp.* Nunc venio ad diuiſionem. Color eſt qualitas paſſibilis, iuſtitia autem eſt habitus, qui acquiritur ex multis actionibus.

*Quæſt.* Ars equitandi eſt etiam habitus?

*Reſp.* Verum, ſed hærens in corpore: iuſtitia vero in anima.

*Quæſt.* At ſapientia hæret in anima?

*Reſp.* Verum: Sed in intellectu, iuſtitia autem in appetitu.

*Quæſt.* At iniuſtitia hæret etiam in appetitu.

*Reſp.* Verum: Sed eſt vitium, iuſtitia autem eſt virtus.

*Quæſt.* At fortitudo eſt virtus?

*Reſp.* Verum: Sed verſatur circa eas res, quæ terrorem nobis incutiunt: Iuſtitia autem circa eas quæ alteri tribuendæ ſunt. Nunc quære num alia ſit virtus quæ circa has res verſatur, nullam comperies: conclude ergo, Iuſtitiam eſſe virtutem, ſuum cuique tribuentem.

*Quæſt.* Agamus iam de imperfecta definitione. Quæ quid ſit rogo?

*Reſp.* Eſt definitio ex aliis etiam Argumentis eam definiens.

*Quæſt.* Quo nomine appellatur hæc definitio?

*Reſp.* Vocatur deſcriptio. *Deſcriptio.*

*Quæſt.* Ariſt. definitionē diuidit in { ἄμεσον, Immediatam. / ἔμμεσον, Mediatam. } *2. Top. cap. 10.*

Illa διότι, hæc ὅτι appellatur.

*Reſp.* Verum eſt, & hæc definitio eadem eſt atque noſtra.

*Quæſt.* Da exemplum deſcriptionis?

*Reſp.* Homo eſt animal mortale, capax diſciplinæ. Et hanc definitionis ſpeciem Ariſtot. facit quintum Topicum: & appellat, Proprium & ita definit 1. Topic. cap. 4. Proprium eſt quod non declarat quidem quid erat eſſe: ſoli vero ineſt, & viciſſim attribuitur rei, vt Grammaticę capax. Et per proprium ſe intelligere deſcriptionem manifeſtum eſt ex 7. Topicorum cap. 3 vbi id nominatim exprimitur. Deſcriptio Porphyrio dicitur ὑπογραφὴ, Rhetoribus periphraſis, Ciceroni in Topicis παραγραφὴ, Platoni in Theæteto σκιαγράφημα.

*Quæſt.* Vnde conficitur?

*Reſp.* Non ex cauſis, vt perfecta definitio, ſed ab adiunctis vel accidentibus.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* Ira eſt furor breuis. Pax eſt tranquilla libertas. Stulte quid eſt ſomnus, gelidæ niſi mortis imago.

*De Teſtimonio.* *Quæſt.* Categoriæ nouem inſitorum argumentorum, vel artificialium, in cauſis & effectis, in ſubiectis & adiunctis, in diſſentaneis & comparatis, in nomine, in diſtributione, in definitione, hactenus ſunt ex veterum authorum, præcipuè ex Ariſtotelis theſauris depromptæ, μεθοδικώτερον expoſitæ, exemplis denique excellentium authorum demonſtratæ & illuſtratæ: decima nunc ſupereſt in Teſtimonio diſcutienda. Dic ergo quid ſit teſtimonium?

*Reſp.* Expoſito artificiali vel inſito argumento, ſequitur argumentum aſſumptum vel inartificiale, quod eſt teſtimonium. Teſtimonium ergo eſt, quod non ſua natura, ſed aſſumpta vi artificialis vel alicuius inſiti argumenti, arguit.

*Quæſt.* Quis eſt huius categoriæ vſus?

*Reſp.* Cum exquiſita rerum veritas ſubtilius exquiritur, perexiguam vim probationis habet teſtimonium humanum. Sed in Theologia, & in rebus ciuilibus & humanis plurimus eſt huius loci vſus. Teſtimoniis enim ſacris ex verbo diuino petitis Theologi ſemper ſua probant principia, & his ſolis ſunt contenti, & præterea, quod his teſtimoniis, non bene munitum prodit, quaſi humanum commentum confidenter repudiant. In foro autem quantus ſit huius topici vſus, oſtendunt omnes cauſæ forenſes & controuerſiæ coram iudice pendentes,

tes, quæ raro ſine teſtimoniis ad finem perducuntur.

*Quæſt*. Quotuplex eſt teſtimonium?

*Reſp*. Duplex, aut
- Diuinum.
- Humanum.

*Quæſt*. Quotuplex eſt Diuinum?

*Reſp*. Eſt duplex, vel
- Deorum oracula, & huc ſpectant meteora.
- Reſponſa,
  - Vatum.
  - Fatidicorum.

*Quæſt*. Quotuplex eſt humanum?

*Reſp*. Duplex, vel
- Commune.
- Proprium.

*Quæſt*. Quotuplex eſt commune?

*Reſp*. Duplex, vel
- Lex.
- Sentẽtia illuſtris, ſub qua
  - Prouerbia.
  - Dicta ſapientium.

*Quæſt*. Quotuplex eſt proprium teſtimonium?

*Reſp*. Duplex, vel
- Viuorum.
- Mortuorum, vt Philoſophorum, Poetarum, Oratorum.

*Quæſt*. Quotuplex eſt teſtimonium viuorum?

*Reſp*. Duplex, vel
- Iudiciale, id eſt, corã iudice.
- Extra iudiciale, vt
  - Obligatio ſub qua
    - Pignus.
    - Pactum.
  - Confeſſio,
    - Libera.
    - Expreſſa tormentis.
  - Iuſiurandum.

*Quæſt*. Cuius eſt hæc Analyſis?

*Reſp*. Præſtantiſſimi Logici Petri Rami.

*Quæſt*. Nullam habes magis accuratam?

*Reſp*. Minime quidem, aliam tamen habeo cuiuſdam periti dialectici, quæ an ſit priore præſtantior, penes te iudicium eſto.

*Quæſt.* Rurſum ergo abs te quæro de teſtimonio, in primis vnde ſumitur?

*Reſp.* Ducitur ab argumentis abſolute conſentaneis & modo quodam conſentaneis.

*Quæſt.* Quomodo ab argumentis abſolute conſentaneis?

*Reſp.* A cauſis, { Formali. / Efficiente.

*Quæſt.* Quomodo à modo quodam conſentaneis?

*Reſp.* A { Subiectis. / Adiunctis.

*Quæſt.* Quomodo fit teſtimonium à forma?

*Reſp.* Fit, vel { Verbis, { Diuinis. / Factis, Humanis.

*Quæſt.* A cuiuſmodi verbis?

*Reſp.* A verbis { Pronunciatis. / Scriptis. huc pertinent leges humanæ, & dicta, &c.

*Quæſt.* Qualia eſſent illa verba?

*Reſp* Aut Diuina aut Humana.

*Quæſt.* Quomodo ducitur teſtimonium ab efficiente cauſa?

*Reſp.* Teſtimonium ab efficiente, eſt quum ducitur ab illis qui teſtantur.

*Quæſt.* Quotuplex eſt illud teſtimonium?

*Reſp.* Duplex, eſt enim vel { Diuinum. / Humanum.

*Quæſt.* Quid eſt Diuinum teſtimonium?

*Reſp.* Quod Deum authorem habet.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Diuinum teſtimonium?

*Reſp.* Duplex, eſt enim vel { Vere Diuinum. / Quaſi Diuinum.

*Quæſt.* Quid eſt vere Diuinum?

*Reſp.* Quod verum Deum authorem habet.

*Quæſt.* Quotuplex eſt hoc teſtimonium?

*Reſp.* Du-

*Reſp.* Duplex, vel { Immediatum. / Mediatum.

*Quæſt.* Quid eſt immediatum Diuinum teſtimonium?

*Reſp.* Eſt quo Deus hominibus, non per alios homines, ſed modo aliquo ſingulari & inuſitato aliquid teſtatur. Sic alloquutus eſt Adamum, Noachum, Abrahamum & Prophetas. Item Somnia, viſiones, &c.

*Quæſt.* Quid eſt Mediatum teſtimonium vere diuinum?

*Reſp.* Eſt quo Deus, per ſeruos ſuos immediate à ſe vocatos, hominibus voluntatem ſuam patefacit. Et hactenus de vere Diuino teſtimonio.

*Quæſt.* Quid eſt teſtimonium quaſi diuinum?

*Reſp.* Eſt quod fictitium Deum aliquem habet authorem; aut potius Diabolum ipſum: aut quod vero Deo falſo aſcribitur. Huius generis ſunt Ethnicorum oracula, Apollinis, Delphicum, Dodonæum, nec non aliæ id genus ſuperſtitiones: vt Augurium, Aruſpicina, &c. quæ Leu. 19. vero teſtimonio damnantur.

*Humanum teſtimonium.*

*Quæſt.* Quid eſt humanum teſtimonium?

*Reſp.* Quod hominem authorem habet.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp.* Duplex, vel { Prudens. / Temerarium.

*Quæſt.* Quid eſt prudens teſtimonium?

*Reſp.* Quod cum ratione & iudicio coniunctum eſt.

*Quæſt.* Quotuplex eſt prudens teſtimonium?

*Reſp.* Duplex, aut { Liberum. / Expreſſum.

*Quæſt.* Quid eſt liberum teſtimonium?

*Reſp* Quod quis cum iudicio, nulla vi coactus, nulla ſpe illectus, nullaque temeritate impulſus profert.

*Quæſt.* Quid eſt expreſſum teſtimonium?

*Reſp.* Eſt quod quis cum iudicio quidem, ſed aut ſenſu doloris adactus, aut metu incommodorum impulſus, aut commodorum ſpe illectus profert, vt ſunt confeſſiones quæ

vi, vel metu hominibus extorquentur.

*Quæſt.* Quid eſt Temerarium teſtimonium?

*Reſp.* Eſt quod quis ſine iudicio aut conſilio, naturæ quodam impulſu profert, vt ſunt ea quæ effutiuntur à fatuis, ebriis, vel dormientibus.

*Quæſt.* Nunc tranſeamus ad teſtimonia ducta ab argumentis modo quodam conſentaneis, nempe à ſubiectis & adiunctis. Dic ergo, à quibus ſubiectis ducitur hoc teſtimonium?

*Reſp.* A Subiectis occupantibus vel obiectis: vt à voluntate vel mente, &c.

*Quæſt.* Quotuplex eſt hoc teſtimonium?

*Reſp.* Duplex, aut { Promiſſio. / Confeſſio.

*Quæſt.* Quid eſt Promiſſio?

*Reſp.* Promiſſio (ſub qua continetur comminatio) eſt teſtimonium de teſtantis voluntate.

Huius generis ſunt { Euangelium. / Sacramenta.

*Quæſt.* Quid eſt Confeſſio?

*Reſp.* Confeſſio eſt teſtimonium de teſtantis mente.

*Quæſt.* Quotuplex eſt hoc teſtimonium?

*Reſp.* Duplex { Iudicij. / Memoriæ.

*Quæſt.* Quid eſt confeſſio iudicij?

*Reſp.* Qua quis indicat ſuum de re aliqua iudicium.

*Quæſt.* Quid eſt confeſſio memoriæ?

*Reſp.* Eſt qua quis exponit, quod ſe vidiſſe, audiuiſſe, aliove ſenſu percepiſſe meminit. Sub confeſſione iudicij continentur leges, prouerbia, dicta ſapientum, Apophthegmata prudentum, placita Philoſophorum, Præceptiones ſeu regulæ artium; Item ſupplicia Martyrum.

Sub confeſſione memoriæ cõprehenduntur omnia teſtimonia de facto aut re alia ſenſu percepta. Huius generis ſunt teſtimonia Apoſtolorũ, de Chriſti dictis, factis, perpeſſionibus, &c.

*Quæſt.* Quid eſt teſtimonium ab adiunctis?

*Reſp.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0094-3

# ALIA TESTIMONIORVM TABVLA ANALYTICA.

(***)
Pag. 57.

Teſtimonium ducitur ab argumentis, vel
- Abſolutè cõſentaneis vt causâ
  - Internâ. id eſt, formâ. hoc teſtimonium eſt vel
    - Verbis quæ ſunt vel
      - Pronunciata
        - Diuina.
        - Humana.
      - Scripta
        - Diuina.
        - Humana.
    - Factis
      - Diuinis huc pertinent Meteora.
      - Humanis.
  - Externâ, id eſt, Efficiente: hoc teſtimonium eſt vel
    - Diuinũ quod eſt vel
      - Verè diuinum, quod eſt vel
        - Mediatum.
        - Immediatum.
      - Quaſi diuinũ, quod habet vel
        - Fictum Deum authorem.
        - Aliquid vero Deo falsò tributum.
    - Humanũ, eſtq; vel
      - Prudens, eſtque vel
        - Liberum, cum quiſpiam libere profert.
        - Expreſſum vi &c.
      - Temerarium.
- Modo quodã conſentaneis vt
  - Subiectis occupantibus, & hoc teſtimonium eſt vel
    - Promiſſio quæ eſt teſtimonium de teſtantis voluntate in rebus
      - Diuinis, id eſt,
        - Lege
        - Euãgelio
        - Vel de
          - Eſſentia Dei.
          - Attributis Dei
      - Humanis, id eſt, erga Homines.
    - Confeſſio, quę eſt teſtimonium de teſtantis mente, eſtque vel
      - Iudicij, cum quis indicat ſuum de re iudicium.
      - Memoriæ: cum quis exponit quod meminit, & huc pertinent Adagia & dicta ſapientum &c.
  - Adiunctis quod fit
    - Cum iuramento.
    - Sine iuramento, quod fit vel
      - Factis quæ ſunt
        - Obligationes.
        - Pignora Argumenta ſtultorum.
      - Pactis.

*Libri primi Dialecticæ, id eſt, Inuentionis finis.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0096-5

*Reſp.* Qua quis aliquid teſtatur vel iuramento vel circumſtantiis.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp.* Duplex, vel
- cum iuramento.
- ſine iuramento.

*Quæſt.* Æquumne eſt iurare?

*Reſp.* Hoc quære à Theologis.

*Quæſt.* Quomodo fit hoc teſtimonium ſine iuramento?

*Reſp.* Vel
- Factis.
- Pactis.

*Quæſt.* Quomodo fit factis?

*Reſp.* Per obligationes & pignora: Quæ ſunt argumenta ſtultorum.

*Quæſt.* Nunc huius Categoriæ, vtranque (tum doctiſſimi Rami, tum eruditi alterius Dialectici) Analyſin ſubiicito?

*Reſp.* Eſto quidem.

*Teſtimonij Analytica tabula iuxta Rami Dialecticam.*

Teſtimonium eſt quod non è ſua natura, ſed aliunde probandi vim habet, eſtque
- Diuinũ, vt ſunt
  - Deorũ oracula, huc ſpectãt Meteora.
  - Reſponſa
    - Vatum.
    - Fatidicorum.
- Humanũ
  - Commune
    - Lex
      - Scripta.
      - Non ſcripta.
    - Sententia ſub qua
      - Prouerbia
      - Dicta ſapiẽtũ.
  - Propriũ
    - Mortuorum,
      - Poetarum.
      - Oratorum.
      - Philoſophorum.
    - Viuorũ.
      - Iudiciale.
      - Extraiudiciale
        - Obligatio ſub qua
          - Pign°.
          - Pactũ.
        - Confeſſio,
          - Libera.
          - Expreſſa.
        - Iuramentum.

# DE SECVNDA DIALECTICES PARTE.

*Quæſt.*

QVONIAM Diuina prouidentia, priorem Dialectices partem abſoluimus, nempè inuentionem, adeo ſyncere & ſolide, vt nihil ad eiuſdem vel cognitionem, vel explicationem, iuſte deſiderari queat; & quoniam te nihil, æque ſtudere comperi, atque Reipublicæ prodeſſe: meum eſſe putaui, tum percontando, tum diſcendo, de ſecunda & poſteriori Logices parte, videlicet, Iudicio diſquirere, ac de ipſa tecum agere, ita tamen vt quicquid vel tu dixeris, vel ego audiero literis mandarem, vt diſceptationibus peractis, aliquid in poſterum Reipub. vtilitatis perueniat?

*Reſp.* Summæ ſpei adoleſcens, quum te tanto diſcendi flagrare deſiderio perſpiciam: tibi tuoq; eruditionis auidiſſimo atq; pene inſatiabili ingenio, ſi fieri poſſit, per omnia ſatisfacere decreui. Age ergo quod de ſecunda Dialectices parte vel obiicere vel proponere, in promptu habes, videamus, vt quam perite ad reſpondendum ſimus parati & inſtructi, omnibus innoteſcat.

*Quæſt.* Dic igitur venerande Magiſter, Quid ſit Iudicium?

*Reſp.* Iudicium eſt pars Logicæ de diſponendis Argumentis ad bene iudicandum.

*Quæſt.* Cur addis, Ad bene iudicandum?

*Reſp.* Quia bene iudicare eſt finis diſpoſitionis Logicę. Tale.

*Quæſt.* Suntne Iudicium & Diſpoſitio idem?

*Reſp.* Accipiuntur pro eodem. Ramus. Iudicium enim ex fine, Diſpoſitio vero ex efficientia ſumitur, quia inde iudicium fiat. Taleus.

*Quæſt.* Vbinam de hac parte agit Ariſtoteles?

*Reſp.* In

*Reſp.* In duobus libris de Interpretatione, & quatuor Analyticorum.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Iudicium?

*Reſp.* Duplex, { Axiomaticum. / Dianoeticum. }

*Quæſt.* Quid eſt Axiomaticum?

*Reſp.* Quod per ſe, ſuaque fide probatur.

*Quæſt.* Quid vis per Axiomaticum?

*Reſp.* Enunciatum. Quia enuntiatum à Græcis Dialecticis, Cicerone teſte, nominatum fuit ἀξίωμα. *Ariſt. lib. 1. Top. cap. 1. Cic. de Fato.*

*Quæſt.* Quis primus de Axiomatis ſcripſit?

*Reſp.* Clitomachus Thurius πρῶτος περὶ ἀξιωμάτων συνέγραψε, primus de Axiomatis conſcripſit, inquit Laertius lib. 2.

*Quæſt.* Quid eſt Axioma vel Enunciatum?

*Reſp.* Eſt diſpoſitio argumenti cum Argumento, qua eſſe aliquid, aut non eſſe iudicatur. vel ſi mauis, eſt diſpoſitio qua argumentum de argumento enuntiatur. Ramus in priori editione.

*Quæſt.* Quid tibi vis per illud argumentum cũ argumento?

*Reſp.* Intelligo rem cum re, Notionem cum Notione; vocabulum cum vocabulo, vel cum Ariſtotele, terminum cum termino.

*Quæſt.* Ais præterea in definitione: Qua eſſe aliquid, aut non eſſe indicatur, quid ſibi vult illud eſſe aut non eſſe?

*Reſp.* Per eſſe, intelligo non tantum eſſe, ſed hoc eſſe illud vel tale: vt quando verbum ſubſtantiuum eſt copula.

*Quæſt.* Quomodo appellat Ariſtoteles enuntiatum?

*Reſp.* Ariſtoteles ἀπόφανσιν vocat, & πρότασιν enuntiationem & propoſitionem.

*Quæſt.* Quot ſunt in Axiomate vel Enuntiato conſideranda?

*Reſp.* Duo, primò partes, deinde affectiones & ſpecies.

*Quæſt.* Quot ſunt Enuntiati partes?

*Reſp.* Duæ { Antecedens / Conſequens } Vocanturque ab Ariſtotele Termini 1. libri priorum, cap. 1.

vocantur etiam ab ipſo Subiectum & prædicatum.

*Quæſt.* Quotſunt Enuntiati affectiones?

*Reſp.* Duæ, primò { Affirmatum / Negatum. } Deinde { Verum. / Falſum. }

*Quæſt.* Quid eſt Affirmatum?

*Reſp.* Quando vinculum eius affirmatur.

*Quæſt.* Quid intelligis per vinculum?

*Reſp.* Verbum ſubſtantiuum, vel coniunctionem Grammaticam.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* Homo eſt animal.

*Quæſt.* In hoc enuntiato, Subiectum, prędicatum, vinculumque oſtendas precor.

*Reſp.* Homo eſt ſubiectum, Animal prædicatum, Eſt vero, vinculum.

*Quæſt.* Da exemplum vinculi per coniunctionem Grammaticam?

*Reſp.* Socrates & bonus & iuſtus eſt.

*Quæſt.* Quid eſt Negatum?

*Quæſt.* Quando vinculum eius negatur. Et hinc naſcitur Axiomatum contradictio; nempe ex affirmationis & negationis oppoſitione; quum altera alteri opponitur, & quando idem Axioma affirmatur & negatur. Et hæc affirmatio & negatio nihil aliud eſt quam partium compoſitio & diuiſio. Itaque apud Ariſtotelem σύνθεσις καὶ διαίρεσις appellantur ἑρμηνείας κεφ. 8. vt
*Taleus.* cum dicas: Homo eſt Animal, conſequens componitur cum Antecedente, vel cum Ariſt. prædicatum cum ſubiecto. Contra autem, Homo non eſt Animal; conſequens idem, diuiditur ab eodem Antecedente.

*Quæſt.* Quid eſt contradictio?

*Reſp.* Eſt affirmatio, & negatio eiuſdem conſequentis de eo-
*Taleus.* dem Antecedente. Ariſt. lib. de Interpretatione in fine.

*Quæſt.* Accipiturne contradictio hîc generaliter, pro quauis Enunciatorum oppoſitione, quemadmodum ſic decies octies vſurpatur ab Ariſtotele lib. de Interpretatione?

*Reſp.* Sane quidem. E diſſentaneis enim attributis, diſſentaneæ propoſitiones dici poſſunt, & diuerſæ, & diſparatæ, & relatæ, & aduerſæ, & priuantes, ſic etiam contradicentes, verbo

generali,

generali. Vt homo eſt animal; Homo eſt ſapiens, ſunt enuntiaones diuerſæ. Homo eſt animal; homo eſt arbor; ſunt diſparatæ Ratio eſt domina voluptatis: Ratio eſt ſerua voluptatis, ſunt Relatæ. Virtus eſt laudanda: virtus eſt vituperanda, ſunt aduerſæ. Animal videt? Animal cæcum eſt, ſunt priuantes. Socrates eſt iuſtus, Socrates non eſt iuſtus, &c. Contradicentes.

*Quæſt.* Aiebas Enunciatum eſſe verum vel falſum. Quid eſt enuntiatum verum & falſum?

*Reſp.* Verum eſt quando pronuntiat vti res eſt: falſum contra. Vel: verum eſt quando Conſequens verum eſt de Antecedente, falſum contra. Ramus in priori editione.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Axioma verum?

*Reſp.* Duplex, { Contingens. / Neceſſarium.

*Quæſt.* Quid eſt Contingens?

*Reſp.* Quando ſic verum eſt, vt aliquando falſum eſſe poſſit: vt,

*Audaces fortuna iuuat, timidoſque repellit.* *Virg. Æneid. 10.*

Hoc enim quamuis verum ſit hodie, cras falſum eſſe poteſt: itaque huius contingentis veritatis dicitur opinio. 1. Poſt. 26.

*Quæſt.* In quibus rebus poteſt opinio certa eſſe homini?

*Reſp.* In præſentibus & præteritis.

*Quæſt.* Et non in futuris?

*Reſp.* Non quidem per naturam.

*Quæſt.* At contra diſputat Ariſtot. lib. de Interpretatione?

*Reſp.* Et illud fateor. Sed ſophiſtice agit, in cuius ſyllogiſmo etiam reperitur fallacia Æquiuocationis vel Homonymias quæ temere arrepta, æternam Dei præſcientiam euertere conatur.

*Quæſt.* Quid eſt neceſſarium enunciatum?

*Reſp.* Quando ſemper verum eſt, nec falſum eſſe poteſt. Cui contrarium eſt impoſſibile, quod de nullo vnquam verum eſſe poteſt.

*Quæſt.* Quomodo appellatur iudiciũ Enunciati neceſſarij?

*Reſp.* Vocatur ſcientia. Freigius.

*Quæſt.* Quot ſunt in omni ſcientia circumſtantiæ conſiderandæ?

Reſp. Tres, { 1. κατὰ παντὸς, de omni.
2. καθ' αὑτὸ, per ſe.
3. καθόλȣ πρῶτον, vniuerſaliter primum, & hæ tres ſunt leges documentorum Artis propriorum. Prima κατὰ παντὸς, dicitur lex veritatis; Secunda καθ' αὑτὸ, Lex iuſtitiæ: Tertia καθόλȣ πρῶτον, Lex prudentiæ.

Quæſt. Quid eſt κατὰ παντός?

Reſp Eſt quando conſequens ſemper verum eſt de omni Antecedente.

Quæſt. Quid eſt καθ' αὑτὸ, Homogeneum?

Reſp. Quando Subiectum & Prædicatum ſunt eſſentialia inter ſe, vt: Homo eſt rationalis. Cui contrarium eſt Heterogeneum.

Quæſt. Quid eſt καθόλȣ πρῶτον, vel vniuerſale & reciprocũ?

Reſp. Quando conſequens verum eſt de Antecedente non ſolum omni & per ſe, ſed etiam reciproce: vt, Homo eſt animal rationale: Numerus eſt par vel impar. Lupus natus eſt ad vlulandum, &c.

Quæſt. Quis primus has leges adinuenit?

Reſp. Ariſt. 2. poſter. cap. 4. quarum obſeruatione inſignis Philoſophus, Dialecticam plenius & melius quam ante ſe quiſquam tradidit. His etiam adiutus præſtantiſſimus Ramus omnes fere artes, præſertim vero Dialecticam multis & obſcœnis tricis, ſqualidiſque ſophiſmatis laborantem vindicauit, ad perfectam reduxit methodum, propriis ſuis veſtibus (abiectis alienis & Heterogeneis) ornauit, & nunquam perituram nobis ediſcendam & docendam propoſuit.

Quæſt. Æquumne eſt vt ſecundum has tres leges omnes Artes deſcribantur?

Reſp. Sane quidem. Summopere conuenit etenim, vt omnium Artium præcepta ſint in primis κατὰ παντός, id eſt, ſemper vera. Deinde καθ' αὑτὸ, per ſe, id eſt, Homogenea non aliena & aduentitia, ſed ad eandem artem pertinentia: & hoc illud eſt καθ' αὑτὸ, & lex iuſtitiæ, quum ſuum cuique tribuatur; & in omni arte ſua propria præcepta doceantur, vt in Arithmetica numeri, in Geometria magnitudines proponantur. Deniq; expedit vt Artium omnium documenta ſint catholica vel reciproca, quod ſemel tantum ſint tradita, non multoties iterata. Et hoc

eſt

eſt illud καθόλυ πρῶτον, lex prudentię, quum non vltima primis, prima poſtremis, genera ſpeciebus, &c. transuerſe intrudantur.

*Quæſt.* Quamuis has tres leges ad artium omnium explicationem & expolitionem neceſſarias eſſe exiſtimem, facultates tamen ipſas, nempe Theologiam, Iuriſperitiam & Medicinam his tribus neceſſario indigere, vel ipſas ex his conſtare vel compoſitas fuiſſe nondum video.

*Reſp.* Et tamen ſic eſſe, earum facultatum veriſſima certiſſimaque principia & præcepta luculenter euincunt. Harum etenim nullam dabis, in qua hæ tres leges, & earum operationes, quàm citiſſime non reperiantur.

*Quæſt.* In Theologia vbinam inuenitur prima regula, vel lex veritatis κατὰ παντός?

*Reſp.* Vbicunque περὶ τῆς θεολογίας aliquid præcipitur, ibi lex eſt veritatis, & præcipuè Geneſ. 2. Exod. 20. Deut. 6. Mat. 5. 6. & 7. Sed de hac re, quid multis? In Theologia nihil præcipitur non ſemper verum.

*Quæſt.* Sed vbi precandi formulam Matth. 6. inſtituit Chriſtus, exiſtimas ipſum ſeruatorem harum trium legum vllam habuiſſe rationem?

*Quæſt.* Quid ni? Nefas etenim eſt vel cogitare, Chriſtum, omnium artium dominum & peritiſſimum didaſcalum, in docendo, vel artes ipſas parui aut nihili facere, quas ipſe hominibus donauit. Vel confuſe & ſine ordine & methodo, de re tanta tamque ſeria tunc temporis diſſerere. Et certè ſi vſpiam alibi Spiritus ſanctus ſe peritiſſimum artificem & omnibus numeris Dialecticum abſolutum oſtendit: in hac orationis formula illud ipſum patefecit. In hac enim oratione hæ tres leges reperiuntur. Sex enim illæ petitiones ſemper ſunt κατὰ παντὸς, id eſt, neceſſario ſemper veræ. In ipſa deinde nihil, præter ea quæ ad rite precandi normam ſpectant, traditur; quod eſt καθ' αὑτὸ per ſe, id eſt, Homogeneum & non à precandi ſcientia alienum, quod eſt lex iuſtitiæ. Denique in hac precatione, quæ prima ſunt, primo loco ponuntur, & ſecunda ſecundo, ſemel etiam non ſæpe eadem traduntur, quæ omnia ſunt lex prudentiæ, & καθόλυ πρῶτον. Huius etenim orationis Dominicæ Analyſin ſic accipito.

*Pater noſter qui es in cœlis.*

Orationis dominicæ partes duę videlicet,

- Præfatio ad obtinendam petitionem ducta à
  - Relatis, ſcilicet Nomine Dei appellatiuo, ſcilicet Patre.
  - Subiecto, id eſt, loco vbi pleniſſime ſe conſpiciendum exhibet Deus, ſcilicet Cœlo.
- Materia: cuius partes duæ,
  - Petitio reſpiciens tum
    - Dei
      - Eſſentiam, ibi, ſanctific. nomen tuum.
      - Attributa
        - Regnum.
        - Volūtatē.
      - Ibi, adueniat regnum, fiat voluntas tua.
    - Hominum bona
      - Temporaria ibi, panem &c.
      - Spiritualia quæ ſunt
        - Peccatorū cōdonatio.
        - A malis cōſeruatio, ibi & ne nos in ducas, &c.
  - Concluſio epiphonematica ibi, eſt regnum, &c. in qua Deo tribuit poſſeſſionem ſempiternā
    - Maieſtatis quę ſita eſt in
      - Regno.
      - Potentia.
    - Laudis ibi gloria.

Hîc Chriſti noſtri ſeruatoris exquiſitam docendi peritiam, quis inficiari auſus eſt? Annon hę tres leges ſuis muneribus ſunt perfunctæ? Hîc vide leges veritatis, iuſtitiæ & prudentiæ. Et vt tandem finem imponam, dico neminem poſſe precandi rationem

nem & ſcientiam abſolute tradere, qui verum à falſo, & proprium ab alieno diſtinguere, & tautologias inaneſque repetitiones vitare, denique qui in ataxias gurgitem labyrinthumq; inextricabilem ſe præcipitans omnia concinne & ordine diſponere, aut non nouit, aut plane negligit.

*Quæſt.* Sunt tamen, qui preces legem κατὰ παντὸς, id eſt, legem veritatis non requirere dicunt, ſed tantum methodum vel legem prudentiæ?

*Reſp.* Fateor quendam ita dixiſſe, cuius eruditionem, facundiam, cæteraſque virtutes, quibus Deus ipſum ornauit ex animo amplector. Sed ab illo, ſiue in hoc vno, ſiue in multis me diſſentire, non eſt quòd ægre ferat, quum à doctiſſimorum hominum ingeniis non abhorret, & non ſine ratione inſanire mihi videar. In hac ergo ſententia perſiſtam, & interim ſuo iudicio frui, libere per me licebit. Hoc tamen ſciat: me nullas ſaltem Chriſtianas, agnoſcere preces, in quibus nulla ſit veritas, quamuis prudenter ſint & perpolite diſpoſitæ. Et quænam illa ſit prudentia ſine veritate iudicent pij. Sed vnde ſumus digreſſi, regrediamur. Hactenus igitur de Axiomatum affectionibus. Nunc ſequitur ſpecies.

### *Species.*

Nunc videamus ſpecies.

*Quæſt.* Quot ſunt Axiomatum ſpecies?

*Reſp.* Duæ, Axioma enim eſt vel { Simplex. / Compoſitū. } lib. de Interpret. cap. 4.

*Quæſt.* Quid eſt Simplex?

*Reſp.* Simplex eſt quod verbi vinculo continetur.

*Quæſt.* Cuiuſmodi verbi vinculo?

*Reſp.* Verbi ſubſtantiui vt vocatur à Grammaticis, idque interdum expreſſi, interdum intellecti: vt, Ignis eſt calidus: ignis vrit, hoc eſt: ignis eſt res vrens.

*Quæſt.* Quid vis per vinculum?

*Reſp.* Vulgo vocant Copulam, quia conſequens Enuntiati, cum Antecedente deuincit atque copulat.

*Quæſt.* Quotuplex eſt ſimplex Axioma vel Enunciatum?

Reſp. Duplex { Generale / Speciale } lib. de Interpret. cap. 5. pro quo vulgo dicitur, propoſitio eſt aut { Vniuerſalis. / Particularis.

*Quæſt.* At libro ἑρμηνείας quem citas, Ariſtoteles præter hanc Dichotomian, quam tu tam religioſè inſectaris, etiam tertiam enuntiati ſimplicis ſpeciem proponit, nempe: Enuntiatum vniuerſale non vniuerſaliter, vt: Homo eſt albus; Homo non eſt albus: quod 1. cap. 1. Priorum iteratur, & appellatur Indefinitum ſine vniuerſali aut particulari nota: vt, contrariorum eſt eadem diſciplina: vt, voluptas non eſt bona. Et hoc verbum indefinitum accipit Ariſt. pro communi quodam & ambiguo & incerto, vtrum Generaliter an ſpecialiter poſſit intelligi?

*Reſp.* Hæc certe ſpecies, Eubulidis vel Antiſthenis eſt ſomnium. Sententia enim Enunciati, mente concepti, eſt generalis aut ſpecialis; Tertium illud vagum, quod neque generaliter nec ſpecialiter intelligatur, nihil eſſe poteſt.

*Quæſt.* Quænam ſunt ſigna generalis enuntiationis?

*Reſp.* Omnis, Nullus, Quilibet, Totus, Vniuerſus, & ſimilia.

*Quæſt.* Semperne hæ notæ, generali enuntiationi præponuntur?

*Reſp.* Minimè quidem. Ea enim perſæpe nulla requiruntur, imò nulla omnino ſunt: & vox generalis, generaliter intelligitur, niſi certa reſtrictio adhibita ſit. Præterea: Quodlibet artis enuntiatum eſt κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθόλου πρῶτον. generale, ideo & vniuerſale, & generaliter atque vniuerſaliter intelligendum: Attamen ſignis iſtis vniuerſalibus nulla ars vtitur: Quinetiam extra artes homines ita diſſerunt:

**Nota.**

*Virtus eſt vitium fugere.*

Non dicunt, *Omnis virtus, &c.* Quare illud tertium commentum, tertium nimirum genus enuntiati, medium inter generale & ſpeciale, nulli docti vnquam agnoſcunt.

*Generale Enuntiatum.*

*Quæſt.* Quid eſt generale Enuntiatum?

*Reſp.* Eſt quando commune prædicatum conſequens attribuitur

tribuitur generaliter, ſubiectum communi antecedenti. 1. Priorum cap. 1.

*Quæſt*. Qualis eſt hic contradictio?

*Reſp*. Contradicentium generalium, pars non ſemper altera vera, altera falſa eſt, ſed & contingentium & non contingentium pars falſa poteſt eſſe. Vt contingentium,

*Omnis poteſtas eſt impatiens conſortis,*
*Nulla poteſtas eſt impatiens conſortis.*

Non contingentium.

*Omne animal eſt rationale,*
*Nullum animal eſt rationale.*

*Quæſt*. Quid vis per contradictionem?

*Reſp*. Contradictio, eſt oppoſitio Enunciatorum per Affirmationem & Negationem.

*Quæſt*. Quid eſt ſpeciale Enunciatum? *Speciale Enunciatum.*

*Reſp*. Quando Conſequens non omni Antecedenti attribuitur. & hîc contradictio ſemper diuidit verum à falſo. lib. de Interpret. cap. 6.

*Quæſt*. Quotuplex eſt Speciale?

*Reſp*. Duplex, { Particulare. / Proprium. }

*Quæſt*. Quid eſt particulare?

*Reſp*. Eſt quando Conſequens commune, Antecedenti particulariter attribuatur. lib. 1. Priorum, cap. 1. Huic Axiomati generaliter contradicitur. Vt:

*Aliquid ignoſcendum eſt,*
*Nihil ignoſcendum eſt.* Aut
*Aliqua ignoſcenda non ſunt,*
*Omnia ignoſcenda ſunt.*

*Quæſt*. Quid ſignificat illud: particulariter attribui Antecedenti?

*Reſp*. Id eſt, non toti generi Antecedentis: ſed tantum aliquot eius ſpeciebus, vel etiam vni tantum ſpeciei: idque indefinite, id eſt, ita vt nulla certa ſpecies indicetur, ſed tantum aliqua aut aliquæ innuantur: vnde Ramus huiuſmodi Enuntiata olim non incommode Infinita appellauit. Ramus in priori editione.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0107-1

*Quæſt.* Quid eſt proprium?

*Reſp.* Eſt quando conſequens Antecedenti proprio, id eſt indiuiduo, vel ſingulari, vel, vt Ramus, ſpeciei ſpecialiſſimæ attribuitur: vt, Fabulla eſt bella, cuius negatio & contradictio eſt; Fabulla non eſt bella.

*Quæſt.* Suntne aliæ contradictiones præter has?

*Reſp.* Sunt ab Ariſtotele noua nomina his contradictionibus indita, Generales vocat contrarias, ſpeciales vero, contradictiones. Sunt enim à quibuſdam pſeudologis, duæ præter has, in ſcholas introductæ. nempe { Subcontrariæ. / Subalternæ. }

Subcontrariæ, { Aliquis homo eſt albus. / Aliquis homo non eſt albus. } Quæ ambæ ſimul veræ eſſe poſſunt, ergo non ſunt contradictiones. Subalternæ autem ſunt ambæ affirmationes vel negationes, vt omnis Homo eſt iuſtus, aliquis Homo eſt iuſtus, vel nullus Homo eſt iuſtus, aliquis Homo non eſt iuſtus. Hæ tamen non ſunt negationes. Nam vt contradictio fiat, neceſſe eſt eandem rem numero, de eadem re numero negari & affirmari.

Contradicentium igitur Enunciatorum genera ſunt duo { Generale, / Speciale, } Et Speciale rurſus { Particulare / Proprium } Vt ex iis quæ iam dicta ſunt manifeſte patet.

*Quæſt.* Enunciatorum ſimplicium tabulam oſtende?

*Reſp.* Simplex eſt { Generale. / Speciale { Particulare. / Proprium. } }

*Axioma compoſitum.*

*Quæſt.* Nunc ad cætera progrediamur. Quid eſt Axioma compoſitum?

*Per coniunctionem intelligitur coniunctio Grammatica.*

*Reſp.* Axioma compoſitum eſt quod vinculo coniunctionis continetur. Itaque è coniunctione affirmata vel negata, affirmatur vel negatur. Et contradictionis pars vera eſt, pars falſa.

*Quæſt.* Quo-

*Quæſt.* Quotuplex eſt Axioma compoſitum?

*Reſp.* Duplex eſt pro ſua coniunctione, eſt enim vel { Congregatiuum. / Segregatiuum.

*Quæſt.* Vbi de his agit Ariſtoteles?

*Reſp.* In Ariſtotelis philoſophia de huiuſmodi Enuntiatis nihil eſt, ſed eorum inuentio Theophraſto Eudemo & Latino Boetio eſt aſcribenda.

*Quæſt.* Quid eſt Congregatiuum? **Congregatiuū.**

*Reſp.* Congregatiuum eſt quod enuntiat omnia conſentanea affirmando, omnia etiam diſſentanea negando.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Congregatiuum?

*Reſp.* Duplex { Copulatum. / Connexum.

*Quæſt.* Quid eſt Copulatum? **Copulatum.**

*Reſp.* Eſt cuius coniunctio eſt Copulatiua. Vt,

*Vna Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis*

*Africus.*—Huic affinia ſunt Enuntiata Relatæ Qualitatis, Quantitatis, Loci, quorum notæ ſint Talis, Qualis, Tantus, Quantus, Tot, quot, ibi, vbi.

*Quæſt.* Quid eſt Connexum? **Connexum.**

*Reſp.* Eſt Congregatiuum, cuius coniunctio eſt connexiua Si, vt 2. Æneid.

—*ſi miſerum fortuna Sinonem* (Cui ſunt affinia Relatiua temporis & conſequentiæ) *Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget*: cuius negatio eſt, Non ſi miſerum &c. Sed duplex eſt ratio contradicendi. Enunciatis connexis affirmatis. Aut enim negatur ſolum conſequentia: & tunc Aduerbium negandi proponitur coniunctioni connexiuæ: aut affirmatur etiam conſequentia contrarii, & tunc aduerbium negandi præponitur verbo ſubſtantiuo, Enunciati conſequentis. Sed prior ratio negandi, proprie eſt huius loci, quia per eam negatur ipſa connexio. Præterea hæc duo Enuntiata Copulatum & Connexum, in genere enuntiant conſentanea Argumenta: ſequentia duo diſſentanea.

*Quæſt.* Quid eſt Segregatiuum? **Segregatiuū.**

*Reſp.* Eſt cuius coniunctio eſt Segregatiua: ideoque Argumenta diſſentanea enuntiat.

*Quæſt.* Quotuplex eſt Segregatiuum?

*Reſp.* Duplex, { Diſcretum. / Diſiunctum.

*Diſcretum.* *Quæſt.* Quid eſt diſcretum?

*Reſp.* Eſt cuius coniunctio eſt diſcretiua. Itaque è diſſentaneis præcipuè diuerſa enuntiat, cuius notæ ſunt, Quanquam Tamen. Vt, Quanquam ſenſu corporis iudicentur, referri tamen ad animum:

*Naturam expellas furca tamen vſq; recurret.*

*Quæſt.* Quænam eſt eius contradictio?

*Reſp.* Si negatio præponatur coniunctioni. Vt: Licet naturam expellas, non tamen recurret. Et hic iudicium verum eſt, ſi partes non ſolum veræ ſint, verum etiam diſcretæ. Ridiculum eſt Enuntiatum diſcretum, ſi compoſita & conſentanea ſegregentur. Vt, Quanquam Socrates eſt homo, tamen eſt Animal Rationale.

*Diſiunctum.* *Quæſt.* Quid eſt Enunciatum diſiunctum?

*Reſp.* Axioma diſiunctum, eſt Axioma ſegregatiuum, cuius coniunctio eſt diſiunctiua: vt, Aut Dies eſt, aut Nox eſt.

*Aut pluit, aut claro nunc Iupiter æthere fulget.*

Et è diſſentaneis enuntiat præcipue contraria immediata, Abſolute autem conſentanea non poteſt, niſi alterum negando, vt: aut Homo non eſt, aut Animal eſt.

*Quæſt.* Quænam eſt eius contradictio?

*Tale.* *Reſp.* Si negatio proponatur coniunctioni. Et ex neceſſaria partium oppoſitione & diſiunctione pendet eius iudicium verum. Vt, Homo eſt bonus, aut non eſt bonus.

*Quæſt.* Eorum omnium quæ de Axiomatis diſſeruiſti tabulam Analyticam depingas precor?

*Reſp.* Iu-

Reſp. Iudiciū eſt,

- Axiomaticū: cuius vide
  - 1. partes,
    - Antecedens, vulgo Subiectum.
    - Conſequēs vel
      - Affirmatū
      - Negatum

      Et hinc naſcitur Axiomatum contradictio.
  - 2.
    - Affectiones vbi Axiomata ſunt.
      - Verum
        - Contingens, opinio.
        - Neceſſariū ſcientia, vbi de axiomatū præceptis, quæ eſſe debēt
          - Vera.
          - Propria
          - Catholica.
      - Falſum, cui opponitur impoſſibile.
    - Species Axiomatū, eſt enim Axioma
      - Simplex
        - Generale.
        - Speciale
          - Particulare.
          - Proprium.
      - Compoſitum,
        - Congregauū
          - Copulatū.
          - Connexū.
        - Segregatiuum,
          - Diſcretū.
          - Diſiunctū
- Dianoeticum.

*Quæſt.* Hactenus ergo de Iudicio Axiomatico, reſtat nunc vt de iudicio Dianoetico agamus. Quid igitur eſt Dianoia?

*Reſp.* Dianoia eſt cum aliud Axioma ex alio deducitur.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp*. Duplex. { Syllogiſmus. / Methodus. }

*Quæſt*. Quid eſt Syllogiſmus?

*Reſp*. Syllogiſmus eſt Dianoia (vel diſpoſitio Ramus in priori edtione) qua quæſtio cum Argumento ita diſponitur, vt * poſito Antecedente neceſſario concludatur. Nam cum quæſtio efficitur ex Axiomate dubio, ad eius fidem tertio Argumento opus eſt cum quæſtione collocato.

* *Id eſt poſitis præmiſſis.*

*Quæſt*. Quid intelligis per Quæſtionem?

*Reſp*. Enuntiatum dubium de cuius veritate quæritur, vide antea de Quæſtione. Quæſtio enim occupatur in Enuntiato dubio, vel intelligo Quæſtionem coniunctam. Simplex enim quæſtio cui directè non poteſt reſponderi, ita vel non, ἀσυλλόγιστος eſt, hoc eſt non poteſt Syllogiſmo concludi. Vel per Quæſtionem intelligo omnes Quæſtionis partes ſingulatim, nempe ſeorſim Antecedens, & ſeorſim Conſequens. Et de Quæſtione plura pete, tum initio huius libri, tum apud Rodolphum lib. 2. de Inuentione cap. 7. & fol. 88.

*Quæſt*. Quid vis per Argumentum?

*Reſp*. Id quo Quæſtio arguitur, id eſt conſequens de Antecedente vero Enunciati demonſtratur.

*Quæſt*. Quomodo definit Ariſtoteles Syllogiſmum?

*Ariſt. 1. Priorum 1.*

*Reſp*. Syllogiſmus vel Ratiocinatio (inquit Ariſt.) eſt Oratio in qua nonnulla ita ponuntur, vt diuerſum quid à poſitis neceſſario efficiatur.

*Quæſt*. Eſtne hæc definitio vera?

*Reſp*. Minimè quidem, primo, quia non eſt κατὰ παντὸς, deinde Ariſtotelis ipſius ſententiæ repugnat, 1. Priorum cap. 22. fol. 39. impreſſionis Caluarini 1562. Poſtremo quia conuenit etiam Argumento, vt

*Venti incubuere mari:*
*Denſi funduntur ab æthere nymbi:*
*Crebris micat ignibus æther:*
*Eſt igitur tempeſtas.*

Hic poſitis quibuſdam, aliquid neceſſario conſequitur, nec tamen erit ſyllogiſmus: Omnis enim ſyllogiſmus eſt neceſſarium: non omne autem neceſſarium, Syllogiſmus.

*Quæſt*. Vbi

*Quæſt.* Vbi agit Ariſtoteles de Syllogiſmis?

*Reſp.* In duobus libris priorum Analyticorum.

*Quæſt.* Quot ſunt partes Syllogiſmi?

*Reſp.* Duæ, { Antecedens. / Conſequens. }

*Quæſt.* Quid eſt Antecedens?

*Reſp.* Eſt quæ adhibetur ad arguendam quæſtionem.

*Quæſt.* Quot ſunt partes Antecedentis?

*Reſp.* Duæ, { Propoſitio, vulgo propoſitio Maior, continens terminum maiorem cum medio. / Aſſumptio, vulgo propoſitio Minor, continens terminum minorem cum medio. }

*Quæſt.* Quid eſt propoſitio?

*Reſp.* Eſt prima pars Antecedentis quâ quæſtionis ſaltem conſequens cum argumento diſponitur.

*Quæſt.* Quid eſt Aſſumptio?

*Reſp.* Eſt pars ſecunda Antecedentis quæ aſſumitur è propoſitione.

*Quæſt.* Quid eſt pars conſequens Syllogiſmi?

*Reſp.* Quæ complectitur partes quæſtionis (vulgo terminum maiorem cum minore) eamque quæſtionem concludit, vnde dicitur complexio & concluſio.

*Quæſt.* Quid ſi qua pars Syllogiſmi defuerit?

*Reſp.* Dicitur tunc Enthymema. *Enthymema.*

*Quæſt.* Quid vero ſi præter has tres partes, aliquid acceſſerit?

*Reſp.* Dicitur illa argumentatio proſyllogiſmus. *Proſyllogiſmus.*

*Quæſt.* Quid faciendum eſt ſi partium ordo confundatur?

*Reſp* Si qua dubitatio propterea fuerit, explenda ſunt quæ deſunt, amputanda quæ ſuperſunt, & pars quælibet in locum ſuum redigenda eſt. *Inuerſio.*

*Quæſt.* Quoniam vulgo argumentatio diuiditur in quinque ſpecies, nempe in Syllogiſmum, Enthymema, Inductionē, Exemplum & Soritem, liceat mihi de his omnibus quædam percontari, vt quomodo inuicem differant, in quibus etiam cohereant, cuilibet perſpicere liceat.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0113-4

*Reſp.* Argumentationis ſpeciem tantum vnicam eſſe dico, quintuplam ergo tuam diuiſionem non probo. Et multis mecum agere de Enthymemate, Inductione cæteriſque (quas vocas) argumentationis ſpecies ſuperuacaneum eſſe duco, quia Enthymema ſyllogiſmus eſt, ſed vna ſui parte truncatus. Inductio vero Enthymema eſt, cuius argumentum ductum eſt ab enumeratione partium, ſpecierum ſeu exemplorum ſpecialium, bonum quidem & ſyllogiſticum ſi enumeret omnes ſpecies, vitioſum contra. Exemplum non eſt argumentationis forma (ſignificat enim factum ſimile) alioquin tot eſſent formæ argumentationum, quot ſunt argumentorum genera.

*Sturmius lib. 3. part. Dial. cap. 41.*

*Quæſt.* Quid vero tu de Sorite dicis, Num ille eſt Syllogiſmus?

*Reſp.* Eſt, ſed compoſitus, in quo plures præmiſſæ coaceruantur, & eo ordine connectuntur, vt ſemper prædicatum præcedentis, ſit ſubiectum ſequentis. Vnde concluſio infertur, vt

*Socrates eſt homo*,
*Homo eſt animal*,
*Animal eſt ſubſtantia*, Ergo
*Socrates eſt ſubſtantia.* Et dictus eſt σωρείτης, coaceruator ἀσωρεύω, quod eſt coaceruo. Et eſt valde captioſus & ſinuoſus, ſed tamen verus eſſe poteſt, ſi præmiſſæ in eo omnes ſint veræ & affirmantes, atque etiam ſi vltima ſit negans, tunc legitimus & perſpicuus eſt Sorites.

*Quæſt.* Quomodo reſoluitur in puros Syllogiſmos?

*Reſp.* Conſiderando numerum præmiſſarum, ſemper enim Sorites ex totidem conſtat Syllogiſmis ex quot conſtat præmiſſis, vno minus. Itaque ſi tres ſint præmiſſę, erunt Syllogiſmi duo, &c.

Deinde primo omnium excerpendus eſt Syllogiſmus principalis, is continetur præmiſſa vltima & concluſione. Et hæc pręmiſſa in Syllogiſmo principali ſit maior vel propoſitio, minor autem, vel aſſumptio (quia in Sorite non continetur) Supplenda eſt & ita deinde omnes proſyllogiſmi ſunt ordine reſoluendi.

*Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς.*

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp. Quæ ego volo (inquit Diophantes) vult etiam mater mea,*
*Quæ vult mater mea vult etiam Themiſtocles.*

*Quæ*

*Quæ vult Themiſtocles vult totus populus Athenienſis*, Ergo
*Quæ ego volo vult totus populus Athenienſis.*

*Quæſt*. Quomodo ſoluitur hic Sorites?

*Reſp*. Hoc modo.

*Quæ vult Themiſtocles vult totus populus Athenienſis,*
*Quæ ego volo vult Themiſtocles.* Ergo
*Quæ ego volo vult totus populus Athenienſis.*

Deinde:

*Quæ vult mater mea vult Themiſtocles,*
*Quæ ego volo vult mater mea*, Ergo
*Quæ ego volo vult Themiſtocles.*

*Quæſt*. Eſtne Dilemma Syllogiſmus? *Dilemma.*

*Reſp*. Eſt ſyllogiſmus cornutus, & argumentum à contrariis medio carentibus. Et de hoc vide Syllogiſmum compoſitum connexum.

*Quæſt*. Vbi agit Ariſtoteles de Inductione, Exemplo, Enthymemate & Sorite?

*Reſp*. De tribus primis agit in tertia ſectione libri ſecundi Priorum, de Sorite in categoriis in regula Homogeneorum.

*Quæſt*. Vnde ſumitur propoſitio Syllogiſmi?

*Reſp*. Plerumque è Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Mathematica, Philoſophia, Iuriſprudentia. Taleus.

*Quæſt*. Quot ſunt ſpecies Syllogiſmi? *De Syllogiſmo in ſpecie.*

*Reſp*. Duæ. Syllogiſmus enim eſt { Simplex, vulgo Categoricus. / Compoſitus, vulgo Hypotheticus. }

*Quæſt*. Cuius hæc eſt partitio?

*Reſp*. Theophraſti, Eudemi, Boëtij.

*Quæſt*. Quid eſt ſimplex Syllogiſmus? *Syllogiſmus ſimplex.*

*Reſp*. Vbi pars conſequens (vulgo prædicatum vel terminus Maior) quæſtionis diſponitur in propoſitione (vulgo in Maiore propoſitione) & pars antecedens in aſſumptione, vulgo terminus Minor vel ſubiectum in Minore propoſitione.

*Quæſt*. Quot in hoc Syllogiſmo ſunt conſideranda?

*Reſp*. Duo, { Differentiæ communes ab enunciato. / Genera duo. }

*Quæſt.* Quænam ſunt hæ differentiæ?

*Reſp.* Prior duplex eſt, Syllogiſmus ſimplex eſt { Affirmatus. / Negatus.
Deinde poſterior duplex eſt. Syllogiſmus enim ſimplex eſt, vel { Generalis. / Specialis. / Proprius.

*Quæſt.* In hac poſteriori partitione videntur partes non eſſe inter ſe diſſentaneæ, ſed conſentaneæ, cum proprius Syllogiſmus ſit etiam ſpecialis, ergo diceres (ni fallar) Syllogiſmus ſimplex eſt, vel generalis vel ſpecialis, rurſum ſpecialis eſt infinitus & proprius.

*Reſp.* Verum dicis, ſed quia ex indefinitis nihil vnquam vere poſſit concludi, igitur merito P. Ramus infinitum Syllogiſmum præteriit.

*Syll. Affirm.* *Quæſt.* Quomodo dicitur Syllogiſmus Affirmatus?

*Reſp.* Cum partes omnes ſunt Affirmatæ.

*Syll. Neg.* *Quæſt* Quomodo Negatus?

*Reſp.* Cum partium antecedentium altera, cum complexione ſit negata.

*Syll. Gener.* *Quæſt* Quomodo Generalis?

*Reſp* E propoſitione & aſſumptione generalibus.

*Syll. Specialis.* *Quæſt.* Quomodo dicitur Syllogiſmus ſpecialis?

*Reſp* Ex altera parte antecedentis tantum generali.

*Syll. Proprius.* *Quæſt.* Quomodo vero proprius?

*Reſp.* Ex vtraque parte propria.

*Gener Syll. Simplicis.* *Quæſt.* Quot ſunt genera ſimplicis Syllogiſmi?

*Reſp.* Duo. Syllogiſmus ſimplex eſt { Contractus partibus. / Explicatus.

*Quæſt.* Quid eſt Syllogiſmus contractus?

*Contractus Syll. idem cum tertia figura Ariſtot.* *Axioma.* *Reſp.* In quo argumentum vtramque partem quæſtionis antecedit: ita vt Aſſumptio affirmata, concluſio ſpecialis ſit. Et hic Syllogiſmus idem eſt atque tertia Ariſtotelis figura, quæ vulgo ſic definitur. Tertia figura eſt in qua medium (vel argumentum) eſt ſubiectum in vtraque præmiſſa. Et in hac figura, Ex omnibus præmiſſis negatis, nihil concluditur.

*Quæſt.* Eſt-

*Quæſt.* Eſtne hic Syllogiſmus Affirmatus, Negatus, Generalis, Specialis & Proprius?

*Reſp.* Eſt. Et hic Syllogiſmus ſemper ferè Enthymematicus eſt, quod argumentum pro exemplo, ſubiicitur particulari quæſtioni. Vt, Quædam confidentia eſt virtus, vt Conſtantia.

*Quæſt.* Quot ſunt modi huius figuræ vel Syllogiſmi?

*Reſp.* Sex ſecundum Ariſtotelem: ego duos eſſe dico,

Videlicet
- Affirm.
  - Generalem.
  - Specialem.
  - Proprium.
- Negat.
  - Generalem.
  - Specialem.
  - Proprium.

*Quæſt.* Da huius Syllogiſmi exemplum?

| | |
|---|---|
| *Reſp.* *Affir. Gener.* | 1. AFFIR. GENERALIS. |
| Vſquequaque affirmatus, ſed propoſitione & aſſumptione duntaxat generalis. | Da *Omnis conſtantia eſt virtus*:<br>rap *Omnis conſtantia eſt confidentia*:<br>Ergo<br>ti. *Quædam confidentia eſt virtus.* |
| *Affirm. Specialis* 1. | 2. AFFIR. SPEC. |
| Vſquequaque affirmatus, ſed aſſumptione tãtum generalis. | Dis *Quidam ſapiens eſt diues*:<br>am *Omnis ſapiẽs eſt laudabilis*: Ergo<br>is. *Quidam laudabilis eſt diues.* |
| *Item* | |
| Vſquequaque affirmatus, ſed propoſitione tãtum generalis. | Da *Omnis ſapiens eſt laudabilis*:<br>tis *Quidam ſapiens eſt pauper*: Ergo<br>i. *Quidam pauper eſt laudabilis.* |
| *Affir proprius.* | 3. AFFIR. PROPRIVS. |
| Vſquequaque affirmatus, ſed concluſione indefinitus. | *Socrates eſt Philoſophus*:<br>*Socrates eſt homo*: Ergo<br>*Quidam homo eſt Philoſophus.* |
| *Negatiuus gener.* 1. | 1. NEGAT. GENER. |
| Aſſumptione duntaxat affirmatus, propoſitione autem & aſſumptione generalis. | Fe *Nulla audacia eſt virtus*:<br>lap *Omnis audacia eſt cõfidẽtia*: Ergo<br>ton *Quædam confidentia non eſt virtus.* |

| *Negat. Specialis.* | 2. NEGAT. SPECIALIS. |
|---|---|
| Sola propoſitione generalis, ſolaque aſſumptione affirmatus. | Fe *Nullus ſtultus eſt beatus:* |
| | riſ *Quidā ſtultus eſt fortunatus,* Ergo |
| | on *Quidam fortunatus nō eſt beatus.* |
| *Item:* | |
| Sola aſſumptione generalis & affirmatus. | Boc *Quidam docti non ſunt boni.* |
| | ar *Omnes docti norunt veritatē:* Ergo |
| | do *Quidam qui norunt veritatem, non ſunt boni.* |

3. NEGAT. PROPRIVS.

| | |
|---|---|
| Sola aſſumptione negatus, & concluſione indefinitus. | *Therſites non eſt Philoſophus:* |
| | *At Therſites eſt homo:* Ergo |
| | *Quidam homo non eſt philoſophus.* |

*Quæſt.* Quorſum vnicuique Syllogiſmo quædam vocabula præponis, veluti Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon?

*Reſp.* Tres ſunt apud Dialecticos ſyllogiſticæ figuræ, quarum prima quatuor habet modos, totidem etiam ſecunda, tertia vero ſex; qui modi, vt facilius poſſint dignoſci, quædam vocabula veluti propria nomina in fronte gerunt. Hæc nomina his verſibus continentur.

Figuræ
- 1. *Barbara, Celarent, primæ, Darii Ferioque:*
- 2. *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco ſecundæ:*
- 3 *Tertia grande ſonans tibi dat Darapti, Felapton,*
  *Adiungens Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

In his vocabulis obſeruandæ ſunt quatuor vocales, A, E, I, O. Item quatuor conſonantes initiales, B, C, D, F: & quatuor conſonantes mediæ, S, P, M, C, vocales oſtendunt enuntiatorum quantitatem & qualitatem, videlicet:

A, *vniuerſalem affirmatiuam.*
E, *vniuerſalem negatiuam.*
I, *particularem affirmatiuam.*
O, *particularem negatiuam:*

Conſonantes initiales oſtendunt qui modi ad quos primæ figuræ modos ſunt reducendi, nempè vnuſquiſque ad eum modum primæ figuræ, qui ab eadem incipit litera. Vt ad Ferio primæ figuræ reducuntur Feſtino & Felapton, ad Barbara reducuntur Baroco & Bocardo, &c. Conſonantes mediæ indicant propo-

propoſitionum conuerſionem, iuxta hos verſiculos.

*S vult ſimpliciter verti, P, vero per accid.*
*M vult tranſponi, C, per impoſsibile duci.*

Cætera aliunde petas velim, hæc etenim omnia vocabula, quia reuera ſunt nihil ſignificantia, & non multum ad Dialecticam ediſcendam conducunt, vna cum his conuerſionibus, ex diametro cum lege καθόλου πρῶτον pugnantibus, ſummi reiecerunt Dialectici. Si tu tamen ex his aliquid vtilitatis perceperis, me ſcripſiſſe non pœnitebit. Hactenus de Syllogiſmo contracto, ſequitur explicatus.

*Quæſt.* Quid eſt Syllogiſmus explicatus? *Syllog. Simplex explicatus.*

*Reſp.* Eſt in quo propoſitio eſt generalis aut propria, & concluſio ſimilis antecedenti, aut parti debiliori, id eſt, vulgo, in quo Maior propoſitio ſit vniuerſalis aut ſingularis, & concluſio ſimilis vtrique præmiſſæ, aut præmiſſæ negatiuæ vel particulari. Et hic Syllogiſmus idem eſt atque Ariſtotelis ſecunda figura, quæ vulgo ſic definitur: Secunda figura eſt in qua medium eſt prædicatum in vtraque præmiſſa. Et in hac figura quatuor obſeruabis. Quemadmodum in Syllogiſmo explicato, nempe in tertia Ariſtotelis figura, Argumentum tantum partes Antecedentis antecedebat, ita in hac figura ſequitur: Secundo, altera pars Antecedentium ſemper eſt negata (ex omnibus enim affirmatis in hac figura nihil concluditur:) Tertio, propoſitio eſt in hac figura aut generalis aut propria. (propriam dico tantum, cum in hac figura de proprio Syllogiſmo agat:) Quarto, concluſio ſemper eſt Negatiua, & ſimilis vtrique parti Antecedentis: vel ſi diuerſæ ſint, debiliori, id eſt, Negatiuæ & particulari. Si enim pars vtraque ſit generalis, erit etiam concluſio generalis: Si altera tantum ſit generalis, erit concluſio ſpecialis, aut indefinitè, (id eſt, particulariter) aut proprie, in proprio Syllogiſmo: Si denique vtraque propoſitio ſit propria, erit concluſio ſpecialis, aut indefinitè aut proprie.

*Quæſt.* Vbi agit Ariſtoteles de hac concluſionis cum antecedente Analogia?

*Reſp.* Libro primo Priorum, capite viceſimo quarto, & viceſimo octauo.

*Quæſt.* Quot ſunt huius figuræ ſpecies?

*Reſp.* Duæ, quarum vtraque eſt
- Primus: iſque
  - Generalis
    - 1.
    - 2.
  - Specialis
    - 1.
    - 2.
  - Proprius
    - 1.
    - 2.
- Secundus
  - Affirm.
    - Generalis.
    - Specialis.
    - Proprius.
  - Negat.
    - Generalis.
    - Specialis.
    - Proprius.

*Quæſt.* Quid eſt prima Species?

*Reſp.* Eſt vbi argumentum, id eſt, medium ſemper ſequitur negatum in altera parte: vel vt vulgo, vbi medium in vtraque præmiſſa, prædicati locum teneat, negatum vel in Maiore vel in Minore propoſitione.

*Quæſt.* Da exempla?

| | |
|---|---|
| *Reſp. Generalis* 1. | SYLLOG. GENERAL. 1. |
| Vſquequaq; generalis, ſed aſſumptione duntaxat affirmatus. | Ceſ *Turbatus non vtitur ratione:*<br>a *Sapiens bene vtitur ratione,* Ergo<br>re *Sapiens non eſt turbatus.* |
| *Gener.* 2. | GENERALIS 2. |
| Vſquequaq; generalis, ſed propoſitione duntaxat affirmatus. | Cam *Res mortalis eſt compoſita:*<br>es *Animus nō eſt compoſitus:* Ergo<br>tres *Animus non eſt mortalis.* |
| *Specialis* 1. | SPECIALIS 1. |
| Sola aſſumptione affirmatus, & ſoſa propoſitione generalis. | Fes *Liuidus non eſt magnanimus:*<br>ti *Maximus eſt magnanimus:* Ergo<br>no *Maximus non eſt liuidus.* |
| *Spec.* 2. | SPECIALIS 2. |
| Sola propoſitione generalis & affirmatus. | Ba *Saltator eſt luxurioſus:*<br>roc *Muræna nō eſt luxurioſus:* Ergo<br>o *Muræna non eſt ſaltator.* |
| *Proprius* 1. | PROPRIVS 1. |
| Vſquequaq; proprius, ſed ſola aſſumptione affirmatus. | *Ageſilaus non eſt pictus ab Apelle:*<br>*Alexander eſt pictus ab Apelle:* Ergo<br>*Alexander non eſt Ageſilaus.* |

PRO-

*Prop. 2.*
Vſquequaq; proprius, ſed ſola propoſitione affirmatus.

PROP. 2.
*Cæſar oppreſsit patriam:*
*Tullius nō oppreſsit patriam:* Ergo
*Tullius non eſt Cæſar.*

*Quæſt.* Hi proprij ſyllogiſmi nuſquam apud idoneos reperiuntur Dialecticos, quorſum ergo tu horum mentionem facis?

*Reſp.* Equidem quamuis & vulgo non traduntur, & præmiſſæ in his ſyllogiſmis ſint Enunciata propria vel propoſitiones ſingulares, non minorem cæteris ſyllogiſmorum modis habent firmitatem atque frequentem vſum. Cum enim de duobus quæritur, vtrum ſit vnus & idem: Multi enim binomines ſunt: nec poſſint diſcerni, & aliter ab hoc, aliter ab illo nominantur: ſæpe etiam duo idem nomen habent, vt vnus & idem eſſe putari poſſit, maximi eſt huius Syllogiſmi vſus. Argumenta enim quibus eiuſmodi perſonæ diſcernuntur, aut etiam aliæ res ſingulares ſuis propriis nominibus appellatæ, in hac figura concluduntur.

*De propriis Syllogiſmis Ramus.*

*Taleus.*

*Quæſt* Sed ex meris particularibus nihil poteſt concludi?

*Reſp.* Verum: at ex puris ſingularibus poteſt aliquid vere ſequi. Perperam igitur faciunt, qui in Syllogiſmorum doctrina, propoſitiones ſingulares, accipiunt pro particularibus, quum particulares ſint indefinitæ, quarum ſubiectum nihil certi ac definiti indicat, ſed diſceptantis animum, per varias ſpecies varie circumagi & vagari ſinit, incertum de qua aut quibus enunciatum ſit, atque hinc fortaſſis indiuiduum vagum nominatur: vt cum dicitur: Quidam Philoſophus Athenienſis cicutam bibit, vbi non inducatur quis ille fuerit, nempe Socrates. Singulares autem propoſitiones in concludēdo, vim vniuerſalium habere videntur, & certe hoc cum illis commune habent, quod definitæ ſint, quod ſubiectum earum rem certam ac definitam indicat, vt quum dixero:

*Propoſ. Particulares, & Singulares.*

*Nero eſt tyrannus:*
*Iuſtinianus non eſt tyrannus:* Ergo
*Iuſtinianus non eſt Nero.*

*Quæſt.* Progrediamur nunc ad ſecundam explicati Syllogiſmi ſpeciem?

*Reſp.* Secunda eſt, quando Argumentum antecedit in



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0121-8

*Secunda ſpecies Syll. expl. vulgo prima figura Ariſt.*

propoſitione, & ſequitur affirmatum in Aſſumptione, id eſt, quando medium eſt ſubiectum in Maiore præmiſſa, & eſt prædicatum affirmatum in Minore præmiſſa. Et hæc Syllogiſmi ſpecies eadem eſt atque Ariſtotelis prima figura, quæ definitur in qua medium eſt ſubiectum in Maiore & prædicatum in Minore iuxta illud,

*Axioma.* *Sub præ prima, bis præ ſecunda, tertia bis ſub.*

*Quæſt.* Sed cur addis in definitione, prædicatum affirmatum?

*Reſp.* Quia in hac figura, ex Minore negatiua nihil ſequitur.

*Quæſt.* Eſtne hæc Syllogiſmi figura, Affirmata, Negata, Generalis, Specialis, Propria?

*Reſp.* Eſt.

*Quæſt.* Quare primam Ariſtotelis figuram, tu tertio loco ponis?

*Reſp.* Studio Methodi, deinde quia hæc figura magis eſt ſpecialis quam duæ ſuperiores fuerunt. Nam in definienda ſpecie, adhibentur generalia & antecedentia, non contra: At in hac definienda figura, adhibentur quæ in vtraque ſpecie primi generis fuerunt: nec quicquam hic adhibetur, non collectum ex illis, vt plane conſtat hanc figuram ex illis eſſe compoſitam. Nam primo quod argumentum antecedat in prima parte, eſt è prima ſpecie: quod ſequatur in ſecunda parte, eſt è ſecunda ſpecie: quod propoſitio ſit definita, eſt è ſecunda ſpecie: quod Aſſumptio ſit Affirmata, eſt è prima ſpecie: quod Concluſio ſit Antecedenti ſimilis, eſt è ſecunda: quod bini modi diſtinguantur affirmatione & negatione, eſt è prima ſpecie, &c. *Taleus.*

*Quæſt.* Da exempla huius ſpeciei?

| | |
|---|---|
| *Reſp. Affirm. Gener.* | AFFIRM. GENERAL. |
| Vſquequaque affirmatus, & vniuerſus. | Bar *Omne iuſtum eſt vtile:*<br>ba *Omne honeſtum eſt iuſtum:* Ergo<br>ra *Omne honeſtum eſt vtile.* |
| *Neg. Gen.* | NEG. GEN. |
| Vſquequaque vniuerſus, ſed aſſumptione duntaxat affirmatus. | Ce *Nullus timidus eſt liber:*<br>la *Omnis auarus eſt timidus:* Ergo<br>rent *Nullus auarus eſt liber.* |

*Aſſirm.*

| | |
|---|---|
| *Affirm. Spec.* | AFFIR. SPEC. |
| VSquequaque affirmatus, ſed propoſitione tantum vniuerſus. | Da *Conſules virtute facti ſtudioſè Remp. tueri debent.*<br>ri *Cicero eſt virtute factꝰ cõſul*: Ergo<br>j *Cicero Remp. ſtudioſe tueri debet.* |
| *Neg. Spec.* | NEG. SPECIAL. |
| Sola propoſitione vniuerſus, ſolaque aſſumptione affirmatus. | Fe *Deceptor amantis puellæ non eſt laudandus*:<br>ri *Demophoen eſt deceptor amantis puellæ vt Phyllidis*:<br>o *Demophoon igitur nõ eſt laudãdus.* |
| *Affirm. Prop.* | AFFIR. PROP. |
| Vſquequaq; affirmatus & proprius. | *Octauius eſt hæres Cæſaris*:<br>*Ego ſum Octauius*: Ergo<br>*Sum hæres Cæſaris.* |
| *Negat: Prop.* | NEG. PROPR. |
| Vſquequaq; proprius, ſolaque aſſumptione affirmatus. | *Antonius non eſt filius Cæſaris*:<br>*Tu es Antonius*:<br>*Non es igitur filius Cæſaris.* |

Et hactenus de Syllogiſmo ſimplici eiuſq. ſpeciebus, ſequitur Syllogiſmus compoſitus.

*Quæſt.* Quid eſt Syllogiſmus compoſitus?

*Syllog. compoſitus, vulgo Hypotheticus.*

*Reſp.* Eſt Syllogiſmus vbi tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis affirmatæ & compoſitæ: Argumentum eſt pars reliqua. Et quia in hoc ſyllogiſmo explanando, vtar poſthac verbo Tollendi, animaduertas illud verbum Tollere, eſt ſpecialem contradictionem ponere, vel (verbo) contradicere.

*Quæſt.* Vbi agit Ariſtoteles de hoc Syllogiſmo?

*Reſp.* Huiuſmdi Syllogiſmum nullum agnouit Ariſtoteles, imo vero diſſeruit nullam, præter tres ante expoſitas, eſſe ſpeciem ſyllogiſmi. 1. Priorum, cap. 22. iuxta Talei diſtinctionem Ariſt. Priorum in capita, & viceſimo iuxta Grucchii & Durii diſtinctionem. Sed mirabile hoc quod dico conſideranti videatur: Cum Ariſtoteles diſputat nullos præter has tres figuras, eſſe Syllogiſmos, interim vtitur ipſe Syllogiſmo connexo, nulla trium figurarum comprehenſo. Sic enim ille diſputat loco citato & ſequentibus. Quando quicquam ambobus commune ſumi oportet, id tribus figuris fieri oportet.

Nam aut A, de C, & C, de B dicetur, aut C de ambobus, aut ambo de C. hæ autem ſunt figuræ à nobis expoſitæ: perſpicuum eſt igitur omnem Syllogiſmum in aliqua harum trium figurarum neceſſario ſtrui. Et planius ſic accipito, ſi Medium triplici figura diſponitur, omnis etiam Syllogiſmus eadem cõcluditur: ſed primum eſt verum. Nam Argumentum vel antecedit & ſequitur, & tunc prima figura eſt: vel ſequitur tantum & eſt ſecunda: vel antecedit tantum & eſt tertia: quare & ſecundum verum eſt, omniſque Syllogiſmus triplici figura concluditur. Et hinc vides Ariſtotelis diſputationem, Ariſtotelis exemplo teſtimonioque refelli.

*Quæſt.* Huius Syllogiſmi definitionem Rami explanes, precor?

*Reſp.* Definitur Syllogiſmus compoſitus è genere & forma: Genus eſt Syllogiſmus: Forma colligitur è differentiis propoſitionis (vulgo Maioris) ab ea propoſitione, quæ fuit in ſimplici Syllogiſmo: Primo enim hic propoſitio eſt affirmata: illic negata eſſe potuit: Secundo propoſitio eſt compoſita: illic etiam ſimplex eſſe potuit: Tertio tota quæſtio eſt pars altera propoſitionis: Argumentum eſt in reliqua parte. Et ex his tribus differentiis, forma Syllogiſmi compoſiti colligitur. Et præterea in Aſſumptione nunquam accipitur aliquid quæſtionis (id eſt, eius rei quæ in dubium vocatur) ſed ſemper aſſumitur Argumentum vel Medium: vt,

*Propoſitio.*

*Aſſumptio.*

Si *Socrates eſt homo*, *Socrates eſt animal*:
At *Socrates eſt homo*: Ergo
*Socrates eſt animal*

In hoc ſyllogiſmo quo quæritur, num Socrates ſit animal. Verbum (Homo) eſt argumentum vel Medium, quod tantum aſſumitur in Minore propoſitione, id eſt, aſſumptione.

*Quæſt.* Eſtne in hoc Syllogiſmo propoſitio ſemper affirmata?

*Reſp.* Eſt. quamuis enim Enuntiatum compoſitum ex ſimplicibus negatiuis conſtet, poteſt tamen implicite eſſe affirmatum. Vt illud Pauli ad Corinth. Si non eſt reſurrectio mortuorum, etiam Chriſtus non reſurrexit: At Chriſtus reſurrexit, eſt ergo reſurrectio mortuorum. Hic enim affirmatur conſequentia Maioris.

*Quæſt.* Quo-

*Quæſt.* Quotuplex eſt Syllogiſmus?

*Reſp.* Duplex, eſt enim vel
- Connexus, Vulgo Syllog. Hypotheticus eſt, vel
  - Conditionalis.
  - Diſiūctiuus.
- Diſiunctus.

*Quæſt.* Quid eſt Syllogiſmus connexus?

*Reſp.* Eſt Syllogiſmus compoſitus propoſitionis connexæ.

*Quæſt.* Quid vis per propoſitionem connexam.

*Reſp.* Eſt cuius coniunctio eſt Si, vt illud Ariſt. Si vna eſt facultas contrariorum, etiam vna eſt ſcientia: Et illud Mori.

*Si tuus ad ſolem ſtatuatur naſus, hianti*
*Ore, bene oſtendas dentibus hora quota eſt.*

*Quæſt.* Annon ergo eſt Dilemma Syllogiſmus compoſitus connexus? *De Dilemmate.*

*Reſp.* Eſt Syllogiſmus compoſitus, ſed diſiunctus cum duobus connexis, ita vt in vnoquoque Dilemmate tres ſint Syllogiſmi. Exempli gratia.

*Si improbus ſit, cur vteris:*
*Si probus, cur accuſas.*

Hic tres ſunt Syllogiſmi: primus connexus modi primi, quo concluditur quæſtio propoſita.

*Si probus ſit, non debes accuſare:*
*Sed eſt probus*: Ergo
*Non debes accuſare.*

Secundus eſt diſiunctus.

*Aut improbus eſt aut probus:*
*Non autem eſt improbus:*
*Eſt ergo probus.*

Tertius, eſt connexus ſecundi modi.

*Si improbus eſt, non eo vtereris:*
*Atqui eo vteris:*
*Non igitur eſt improbus.* Nunc pergamus.

*Quæſt.* Quot ſunt modi Syllogiſmi connexi?

*Reſp.* Duo.

*Quæſt.* Quid eſt primus modus? *Primus modus Syll. connexi.*

*Reſp.* Qui aſſumit Antecedens & conſequens concludit.

*Quæſt.* Da exemplum.

*Si Dii ſint, diuinatio eſt:*
*Sunt autem Dii:*
*Diuinatio igitur eſt.*

In hoc ſyllogiſmo Minor propoſitio vel aſſumptio complectitur antecedens Maioris: & complexio concludit conſequens. Et aliquando plus aſſumitur in Minore, quàm erat propoſitum in Maiore propoſitione, ſed in tali amplificatione Maius illud quod aſſumitur continet in ſe vim Minoris: vt, 1. Catilin. Si te parentes timerent atque odiſſent tui, neque illos vllo modo placare poſſes, vt opinor, ab eorum oculis aliquò concederes: nunc te patria ( quæ communis omnium noſtrorum eſt parens ) odit ac metuit, & iam diu nihil de te iudicat, niſi de parricidio ſuo cogitare: huius tu neque authoritatem verebere? neque iudicium ſequere? neque vim pertimeſces? Et concludendi modus hic idem eſt, quando propoſitio eſt relata temporis: vt,

*Quando homo currit, mouetur:*
*Atqui homo currit:* Ergo
*Homo mouetur.*

*Connexus ſecundus.* *Quæſt.* Qualis eſt ſecundus modus Syllogiſmi connexi?

*Reſp.* Eſt Syllogiſmus connexus qui tollit conſequens vt tollat antecedens.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp. Si vlli rei ſapiens aſſentietur vſquam, aliquando etiam opinabitur:*
*Nunquam autem opinabitur:*
*Nulli igitur rei aſſentietur.*

*Taleus.* Specialis autem contradictio in hoc ſecundo modo præcipue requiritur, ſecus ἀσυλλόγιστος fuerit. Ramus. Et hæ duæ ſyllogiſmi ſpecies ſunt omnium vſitatiſſimæ.

*Quæſt.* Nunc agamus de Syllogiſmo diſiuncto?

*Reſp.* Placet.

*Syllogiſmus diſiunctus.* *Quæſt.* Quid eſt Syllogiſmus diſiunctus?

*Reſp.* Eſt ſyllogiſmus compoſitus, cuius propoſitio eſt diſiuncta, id eſt, habet coniunctionem diſiunctiuam præfixam.

*Quæſt* Quot ſunt eius modi?

*Reſp.* Duo, quos imprudens Ariſtoteles 2. Topicorum, cap. 2. ſed obſcure comprehendit.

*Mod. primus.* *Quæſt.* Qualis eſt primus modus?

*Reſp.* Primus tollit vnum, & reliquum concludit.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* *Aut dies eſt, aut nox eſt:*
*At dies non eſt,* Ergo
*Nox eſt.*

Et hic obſerua, ſi partes propoſitionis huius ſyllogiſmi diſiunctі ſint plures duabus, iudicandi cōcludēdiq; ars erit eadem: vt, *Ramus.*

*Equus aut eſt homo, aut planta, aut beſtia:*
*At non eſt homo neque planta,*
*Eſt igitur equus beſtia.*

*Quæſt.* Qualis eſt ſecundus modus? *Diſiunctus ſecundus.*

*Reſp.* Eſt qui è propoſitione partibus omnibus affirmata, aſſumit vnum, & reliquum tollit.

*Quæſt.* Da exemplum?

*Reſp.* *Dies eſt, aut nox eſt:*
*At dies eſt,* Ergo
*Nox non eſt.*

Eiuſmodi Syllogiſmus efficitur è propoſitione copulata negata, quæ negata complexio dicitur, quæque diſiunctionis vim obtinet: vt,

*Non & dies eſt, & nox eſt:*
*At dies eſt:*
*Nox igitur non eſt.*

Sed hic obſerua, negatum copulatum ex ſe nullum ſyllogiſmum facere, ſed hic vim diſiunctionis obtinere, & præterea communius quiddam complecti: neque eſſe neceſſe vt partes hîc ſint affirmatæ: vt,

*Non & homo eſt, & animal non eſt:*

Vtrumlibet hic licet aſſumere, vt reliquum tollas: veluti,

*Sed homo eſt:* Ergo
*Animal eſt:* Vel

*Sed animal non eſt:* Ergo
*Homo non eſt.*

Eſt autem genus hoc enuntiandi rarum, & quo nullum ex omnibus enuntiandi generibus ſit diſtortius, vt ait in Fato Cicero. Itaque propter eas contorſiones, hoc etiam Syllogiſmi genus rarius eſt. Et hæc hactenus de Syllogiſmo. *Taleus.*

*Quæſt.* Nunc Syllogiſmi Tabulam ſubijcias precor?

*Reſp.* Non recuſo.

* * *
* *

*Quæſt.* Reſtat nunc vt de Methodo agamus, quam velim vt mihi definias.

*Reſp.* Methodus eſt Dianoia variorum Axiomatum, pro ſuę naturæ claritate præpoſitorum, vnde omnium inter ſe conuenientia iudicatur memoriaq; comprehenditur. Et vt ſpectatur in axiomate veritas & falſitas, in ſyllogiſmo cōſequentia & inconſequentia: ſic in Methodo, ordo & confuſio iudicatur.

*De Methodo.*

*Quæſt.* Quotuplex eſt Methodus?

*Reſp.* Duplex { Perfecta. / Imperfecta.

*Quæſt.* Quid eſt Perfecta.

*Taleus.*

*Reſp.* Qua vtimur, quoties perſpicue res docenda eſt. Itaq; diſponetur ex homogeneis axiomatis, primo loco abſoluta notione primum, ſecundo ſecundum, tertio tertium, & ſic deinceps, vt ab vnitate per media genera ad indiuiduam multitudinem deſcendatur, vel generaliſſimum ſummo loco, ὑπάλληλα, ſubaltera intermedio, & εἰδικώτατα infimo loco ſint, vt loquuntur Peripatetici.

*Quæſt.* Quomodo progreditur?

*Reſp.* Ab vniuerſalibus ad ſingularia perpetuo progreditur. Et hanc ſolam Methodum Ariſtoteles probauit 1. Ethic. cap. 3. & lib. 2. cap. 2. & Phyſic. lib. 1. cap. 1. & Porphyrius capite de Specie.

*Quæſt.* Cur à generalibus ad ſpecialia in docendo ſemper deſcendendum eſt?

*Taleus.*

*Reſp.* Quia illa eſt via ſcientiæ & intelligentiæ. Deinde quia hoc ordine, memoriæ ſuccurritur. Ordo enim eſt memoriæ pater.

*In Methodo hæc ſpectanda. 1. Definitio. 2. Diuiſio. Partium 3. definitio. Illuſtratio*

*Quæſt.* Quomodo deſcenditur à generalibus ad ſpecialia?

*Reſp.* In docendo, generalis & vniuerſa declaratio præcedit, qualis eſt definitio & ſumma quædam comprehenſio: tum ſequitur ſpecialis explicatio per partium diſtributionem: poſtremo partium ſingularium definitio, & ex idoneis exemplis illuſtratio.

*Quæſt.* Quid

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0129-7

# SYLLOGISMI ANALYSIS.

Litera F.

Fol. 88.

***
**

Syllogiſmus eſt Dianoia, qua quæſtio cum Argumento ita diſponitur, vt poſito Antecedente neceſſariò concludatur. in hoc conſider.

- 1. Partes 2.
  - Antecedens cuius ſunt duæ partes
    - Propoſitio.
    - Aſſumptio.
  - Conſequens, id eſt, Concluſio.
- 2. Affectiones q̃ ſunt, vel
  - Partiũ
    - Defectus qui tunc dicitur Enthymema,
    - Redundantia vel Proſyllogiſmus,
      - Si qua dubitatio indè oriatur,
        - Explenda quæ deſunt.
        - Amputanda quæ ſuperſunt.
        - Pars quælibet in ſuum locum redigenda.
  - Ordinis inuerſio.
- Species eſt enim Syllogiſmus, vel
  - Simplex in quo cõſider.
    - Differentiæ communes ab Enuntiato.
      - 1.
        - Affirmatus.
        - Negatus.
      - 2.
        - Generalis.
        - Specialis.
        - Proprius.
    - Genera duo. eſt.n. Syllogiſmus partibus
      - Contractus, quando Argumentum ꝑ Exemplo ita ſubijcitur particulari quæſtioni, vt vtranq; partẽ Antecedens & Aſſumptione affirmatum ſit.
      - Explicatus cuius Species duæ.
        - Prima quæ eſt, vel Syllogiſmus
          - Generalis
            - 1.
            - 2.
          - Specialis
            - 1.
            - 2.
          - Proprius
            - 1.
            - 2.
        - Secũda quæ eſt Syllogiſ.
          - Generalis
            - Affirmat.
            - Negat.
          - Specialis
            - Affirmat.
            - Negat.
          - Proprius
            - Affirmat.
            - Negat.
  - Compoſitus qui eſt, vel
    - Connexus.
      - Primus qui aſſumit Antecedens & Conſequens concludit.
      - Secundus, qui tollit conſequens vt tollat Antecedens.
    - Diſiunctus.
      - Primus, qui tollit vnum & reliquum concludit.
      - Secundus, è propoſitione partibus omnibus affirmata aſſumit vnum, & reliquum tollit.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0130-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0131-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0132-0

*Quæſt.* Quid eſt imperfecta methodus?

*Reſp.* Quæ eſt in κρύψει, id eſt occultatione Methodica: cum ſcilicet delectatione motuve aliquo maiore, in parte aliqua fallendus erit auditor.

*Quæſt.* Quomodo hoc fit?

*Reſp.*
- Homogenea quædã quæ ſunt lumina
  - Definitionum
  - Partitionum
  - Tranſitionum
  - } reiiciuntur.
- Heterogenea quædam, vt
  - Digreſſiones à re
  - Commorationes à re
  - } aſſumuntur.
- Ordo rerum initio inuertitur antecedentiaq; nonnulla conſequentibus poſtponuntur. Sic in rebus eſt
  - ἔλλειψις
  - ἑτερογένεια
  - ταυτολογία
  - } In ordine vero ſemper eſt ὑστερολογία.

*Quæſt.* Methodi tabulam Analyticam adiicias precor?

*Reſp.* Methodus eſt dianoia variorum axiomatum, &c. eſtque vel
- Perfecta in qua conſideranda eſt illuſtratio per exempla
  - Artiũ in quibus
    - Definitio generaliſſima prima erit.
    - Diſtributio ſequetur
  - Rerum omnium quas docere conamur.
    - Poetarum.
    - Oratorum.
    - Hiſtoricorũ
- Imperfecta qua auditores fallere conamur.
  - Reiiciendo Homogenea
    - Definitionum.
    - Partitionum.
    - Tranſitionum.
  - Aſſumendo heterogenea, vt
    - Digreſſiones à re.
    - Commorationes à re.
  - Ordinem inuertendo & antecedentia conſequentibus poſtponendo.

| | | |
|---|---|---|
| Et hactenus de Logicæ præceptis, nunc ſequitur vſus, in | { | Analyſi. |
| | | Geneſi. |

*Quæſt.* Quid eſt Analyſis?

*Reſp.* Eſt exercitatio Logica, quæ verſatur in explorandis ſcriptis, aut conſiliis aut dictis tum noſtris, tum alienis.

*Quæſt.* Vnde dicitur Analyſis?

*Reſp.* ἀπὸ τοῦ ἀναλύειν, id eſt retexendo.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp.* Duplex, { Virtutum / Vitiorum } Nam in explorandis propoſitis exemplis, laudes ſunt cernendæ, & vitia notanda.

*Quæſt.* Quorſum?

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| *Reſp.* Vt | Propria | concedãtur, & vt | Aliena | Reiiciantur. |
| | Perſpicua | | Obſcura | Explicentur. |
| | Certa | | Ambigua | Diſtinguãtur |
| | Vera | | Falſa | Negentur. |
| | Cõſẽtanea | | Incõſequẽtia | Suſpẽdãtur. |

*Quæſt.* Quænam hîc ſunt præcepta?

*Reſp.* Primo Analyſis opus vniuerſum quod explicandum ſuſceperit, à capite retexet: quæſtionem cernet quæ diſſerenti proponitur: Argumenta quibus tractetur aſpiciet: & ad loci vnde ſumpta ſunt legem naturamq; referet: Diſpoſitionem poſtremo ad propoſitam regulam comparabit.

*Quæſt.* Quid de his Ariſtoteles?

*Reſp.* Analyſim inuentionis nullam tradit: de diſpoſitionis Analyſi præcepta ſtatuit excellentia in primo libro Priorum.

*Quæſt.* Qualiſnam eſt reſolutio vitiorum?

*Reſp.* Oppoſitione virtutum cernuntur vitia. Videndum ergo eſt in Inuentione, ne non cauſæ vt cauſæ, non effecta vt effecta ponantur. In Syllogiſmo, ne ſit alienus, ne ſit obſcurus, ne ambiguus, ne inconſtans. In Methodo ne omittantur definitiones & partitiones. Eſt etiam magni erroris, non eodem ordine proſequi partes quo propoſueris.

*Quæſt.* Quid Ariſtoteles de vitiorum Analyſi?

*Reſp.* In ſecundo libro priorum quædam vitia Logica recenſet

cenſet

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0135-7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0136-2

# TABVLA ANALYTICA VSVS DIALECTICÆ.

***
***
Pag. 91.**

Vſus Dialecticæ verſatur circa

- Analyſin, quę eſt exercitatio Logica explorans dicta, facta & conſilia, tum noſtra, tum aliena: cuius vide
  - Partes, eſt enim duplex, videlicet inſpectio
    - Virtutum, vt quæ ſunt
      - Propria
      - Perſpicua
      - Certa
      - Vera
      - Conſentanea
      - → Concedantur.
    - Vitiorum quæ ſunt ſecundum Ariſt. vel in
      - Verbis, ex
        - Homonymia.
        - Amphibolia.
        - Compoſitione & diuiſione.
        - Accentu.
        - Figurâ.
      - Rebus, ſuntque vel
        - Fallacia dictionis
        - Dictum ſecundum quid ad dictum ſimpliciter
        - Ignoratio Elenchi
        - Vitioſum conſequens.
        - Petitio principij
        - Cauſa non cauſa
        - Multiplex interrogatio
        - → Hîc
          - Aliena reijciantur.
          - Obſcura explicentur.
          - Ambigua diſtinguantur.
          - Falſa negentur.
          - Inconſequentia ſuſpendantur.
  - Præcepta quæ ſunt
    - A capite vniuerſum opus retexere;
    - Quæſtionem oppoſitam cernere.
    - Argumenta quibus tractetur aſpicere.
    - Ad loci vnde ſumpta ſunt naturam & legem referre.
    - Diſpoſitionem ad propoſitam regulam comparare.
- Geneſin, quę eſt noui operis effectio: cuius vide
  - 1. Partes quæ ſunt
    - Scriptio
      - Subita & extemporalis.
      - Cogitata & commentata quæ magis eſt laudanda.
    - Dictió
      - Subita.
      - Cogitata.
  - 2
    - Viam qua peruenitur ad perfectam Geneſeos cognitionem, quæ eſt vel
      - Imitatio.
      - Quæſtio libera, cum aliquid nullo authore, ſed noſtro ingenio ſcribimus vel loquimur.
    - Cautiones duas, vt
      - Optimos authores eligamus.
      - Eorum virtutes non vitia ſequamur.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0137-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0138-4

cenſet in ſectione ſecunda à cap. 18. vſque ad 22. vt ſunt petitio principij, non cauſa, falſa ratio, &c. Sed in duobus libris Elenchorum ex profeſſo de hac vitiorum Logicorum Analyſi agit: eamque in duo genera diſtinguit.

*Quæſt.* Quænam ſunt illa?

*Reſp.* Omne vitium eſt aut in verbis aut in rebus. Quod in verbis eſt, aut ex Homonymia eſt, aut ex Amphibolia, aut ex compoſitione & diuiſione, aut ex accentu, aut ex figura: in rebus vero ſunt fallacia accidentis, dictum ſecundum quid ad dictum ſimpliciter, ignoratio Elenchi, vitioſum conſequens, petitio principij, cauſa non cauſa, multiplex interrogatio.

*Quæſt.* Quid ergo eſt Geneſis?

*Reſp.* Eſt non inſpectio propoſiti exempli vt Analyſis, ſed effectio noui operis.

*Quæſt.* Quotuplex eſt?

*Reſp.* Duplex { Scriptio. / Dictio } { Quarum vtraque rurſum eſt vel } { Subita & extemporalis. / Cogitata & commẽtata, & hæc magis eſt cõmendata.

*Quæſt.* Quotuplex eſt via ſcriptionis & dictionis?

*Reſp.* Duplex { Imitatio. / Quæſtio libera, cum ſcilicet aliquid, nullo propoſito nobis authore, ſed ingenio aut arbitrio noſtro ſcribimus vel loquimur.

*Quæſt.* Quot ſunt imitationis cautiones?

*Reſp.* Duæ, vna vt optimos authores eligamus: Altera, vt eorum virtutes non vitia ſequamur.

*Quæſt.* Analyſeos & Geneſeos tabulam depingito?

*Reſp.* En tibi. Et quoniam Logices præcepta ſine exemplis mortua ſunt: idcirco quædam, Analyſeos & Geneſeos exempla in primo capite Nehemiæ & quibuſdam Pſalmis propoſui, vt quam methodice & Logice Spiritus ſanctus inſigniſſimus pſaltes progreditur, & quàm ſit Logices cognitio ad Theologiam aſſequendam neceſſaria, omnibus pateſiat.

* *
* *
*
* *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0139-2

# Tabula Nehemiæ.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0141-0

# PRIMI CAPITIS NEHEMIAE LIBRI ANALYSIS.

In hoc capite agitur de Iudæorum ruina et eiuſdẽ remedio, cuius partes duæ:

- Narratio uſque ad verſum quintũ cuius partes duæ.
  - Cauſa efficiens Nehemiam mouens ad hoc opus ſuſcipiendum, quæ cauſa conſideranda eſt, tum
    - Per accidens verſu primo vt
      - Tempus
        - Menſis ibi Chiſlen.
        - Annus ibi viceſimus Darij vel Artaxerxeos
      - Locus, qui deſcribitur ex Nomine
        - Proprio, ibi, Suſan.
        - Appellatiuo, ibi Caſtro ver. 1.
    - Per ſe, quæ eſt tũ
      - Externa
        - Prima
          - Iudæorum aduentus } Verſu ſecundo.
          - Nehemiæ quæſtio
        - Secunda quæ eſt Iudæorum reſponſio verſu tertio.
      - Interna
        - Præcipua Deus omnia regens ſua prouidentia.
        - Proxima, charitas nimirum & fides in Nehemia de
          - Redimendis captiuis.
          - Reparatione Templi.
  - Effectus verſu quarto
    - Charitatis
      - 1. Luctus pro patria.
      - 2. Ieiunium.
    - Fidei
      - 1. Confugium ad faciem Dei.
      - 2. Precationis exquiſita forma ibi: & dixi.
- Precatio cuius partes duæ verſu 5.
  - Prooemiũ verſu quinto vbi agit de Dei
    - Nomine, ibi, Iehouah Deus cæli fortis.
    - Attributis, nempe
      - Iuſtitiâ, ibi, Magne & terribilis.
      - Miſericordia ibi, cuſtodiens pactũ & miſericordiam &c. 6. & 7.
  - Materia cuius partes duæ
    - Summa, verſibus 6. 7. 8. 9 & 10. cuius partes duæ
      - Narratio ver. 6. & 7 cuius partes duæ
        - Petitio ibi: Sit quæſo auris tua attenta, & oculi tui aperti ad auſcultandum orationi ſerui tui, &c.
        - Cõfeſſio
          - Vniuerſalis ibi, confiteor peccata Iſraelitarum &c.
          - Particularis, ibi: Ego quoque & familia patris mei &c. ver. 6. & 7.
      - Cõfirmatio ver. 8. 9 & 10. ducta tum à
        - Verbo Dei verſibus 8. & 9. Recordare quæſo verbi &c.
        - Eccleſia Dei verſu decimo: Hi ſunt ſerui tui & populus tuus.
    - Finis verſu vndecimo cuius partes duæ
      - Repetitio totius precationis ibi: Obſecro Domine ſit iam auris tua attenta, &c.
      - Amplificatio, ibi: Nam eram pincerna Regis, &c.

Methodus Pſal. 1.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0142-5

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0143-1

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0144-7

# METHODVS PSALMI I.

Pſalmus eſt ἀνεπίγραφος generis didaſcalici, cuius partes ſunt

- Propoſitio duplex.
  - Prioris ſumma eſt, bonos beatos eſſe; idcirco oſtendit
    - Qui ſunt boni 1.2. Boni deſcribūtur ab Effectis vel
      - Negatiue quod non
        - 1. Ambulāt
        - 2. Stant
        - 3. Sedent
        - cum impiis.
      - Affirmatiue quod ſanctimoniæ adhæreant verſ. 2.
    - Quæ illorum felicitas per comparationem arboris, cui ponuntur tria attributa, nempe
      - 1. Plantatio ſecundum aquas,
        - Symbolum
          - 1. Regenerationis.
          - 2. Succi quem trahimus à Chriſto.
      - 2. Fructuum productio, ſymbolum ſanctificationis, ad
        - Gloriam Dei,
        - Commune bonum.
      - 3. Conſtans viriditas ſymbolum perſeuerantiæ, quæ omnia exegetice proponuntur proſperandi verbo.
  - Poſterioris ſumma impios non eſſe beatos, idcirco deſcribit impios
    - Negatiue: non ita improbi, verſu 4.
    - Affirmatiue in verbo gluma carens
      - Radice, ſucco.
      - Fructu, viriditate.
- Concluſio Epiphonematica. verſu 5.6. de
  - Impiorum leuitate verſ. 5.
  - Iuſtorum beatitatis cauſa.
  - Improborum exitio, verſ. 6.

Continet hic pſalmus partes tres, videlic.

- Propoſitionem verſibus 1. & 2. complectentem
  - Admirationem verſ. 1.
  - Explicationem verſ. 2.
- Narrationem duplicem:
  - Priorem habentem ad interrogationem verſ. 1.
    - Subiectionem
    - Expoſitionem
    - verſ. 3.
  - Poſteriorem verſ. 4. cuius partes Sunt de
    - Potentia Dei, verſu 4. Qua oſtenditur Deum impiorum conatus nihili pendere. Sed ſuo tempore omnes iſtos gigantes peſſundare, verſ. 5. & 6.
    - Miſericordia Dei, qua oſtenditur Deum per Prophetam vel regem ſuum ſic hominum probris agitatum voluntatem ſuam explicaſſe. verſu 7. 8. 9.
- Concluſionem hortatoriam, verſ. 10. ſumptam à ſuperioribus documentis. Complectentem
  - Officium hominum. verſ. 10. 11. 12.
  - Officij cauſas ver. 12.
    - Vitationem mali, ibi: vt non iraſcitur.
    - Fruitionem boni, ibi: beati &c.

Pſalmus

Pſalmus eſt εὐκτικὸς cuius partes ſunt duæ

- ἐπιγραφὴ complectens
  - Authorem Pſalmi ibi, Pſalmus Dauidis.
  - Occaſionē Pſalmi ibi, cum fugeret metu Abſchalomj filij ſui.
- πραγματεία habens tres partes:
  - expoſtulationem conſtantem ex
    - Admiratione vel queremonia vſq; ad verſ. 4.
    - Attentionis nota ibi: Sela, quæ eſt ſignum
      - Animi attentionis
      - contenti ſoni.
  - Narrationē complectentem tria,
    - Fiduciæ profeſſionem ab officio Dei, v. 4. quod ſit
      - Scutum
      - Gloria.
      - Salutis author.
      - miſeris.
    - Profeſſionis confirmationem ab experientia bonitatis diuinæ, verſibus 5. & 6.
    - Gloriationem, verſu 7.
  - Petitionem pro
    - Seipſo
    - Populo
    - Et duabus vtitur hęc petitio rationibus ductis à
      - Propria ſua notitia, quod expertus ſit Deum ſibi fuiſſe propitium verſ. 8.
      - Natura Dei, quod omnis ſalutis ſit author. ver. vlt.

Pſalm. eſt εὐκτικὸς & διδασκαλικός, habens partes generales duas.

- Inſcriptionem tractans tria
  - Vſum — Ibi, Magiſtro.
  - Genus — Pſalmi verſ. 1. ibi genus, ſymphonia fidium. Inſtru. ſunt πνευματικὰ ψηλαφητά.
  - Authorē — Ibi, Pſalm. Dauidis.
- Materiam habens partes tres:
  - Exordium v. 2. vbi deſiderat tria
    - Exaudiri
    - Gratiam impetrare
    - Liberari duobus argumentis
      - Ab officio Dei ibi, Deus iuſtitię meæ.
      - Ab experientia. ibi dilataſti mihi &c.
  - Doctrinam de malis in qua ſunt 2.
    - Euincuntur mali ſui verſ. 3. ibi filij virorum &c.
    - Reuocantur ad bonum ad ver. 6. tripliciter.
      - Verſ. 4. In mente & intelligentia vt agnoſcant.
      - Verſ. 5. In animo & voluntate vt quieſcant.
      - Verſ. 6. In vita, vt obedientiæ fructus edant.
  - Verſ. 7. Precem quæ habet Verſ. 8.
    - Illuſtrationem per comparationem ſtudij improborum vagi.
    - Petitionis ſummā ibi, attolle lucem, verſ. 7.
    - Amplificationem ab effectis
      - Lætitiæ
      - Securitatis
    - Vide Eſ. 9. 3. Iudic. 9. 27. Pſal. 3. 5. 6.

# METHODVS PSALMI V.

Pſalmus εὐκτικὸς habens partes duas,

- Inſcriptionem de {Vſu, Genere, Authore} Pſalmi, vide Pſal. 4.
- Materiã habentem partes ſpeciales tres,
  - Exordium faciens audientiam duobus argumentis à
    - Perſona Dei propter {Naturam, Officium, Promiſſiones} Dei. verſ. 2. & 3.
    - Perſona ſui, verſ. 3. Ad te oro.
  - Propoſitionem fiduciæ qua fit vt ad Deum {Accedat, Ipſum precibus ſollicitet. Obſeruet effecta promiſſionis Dei & hæc propoſitio habet}
    - Exordium verſ. 4.
    - Verſ. 5. Confirmationem à
      - Perſona Dei vſq. ad ver. 8.
      - Perſona ſui quod
        - 1. Fretus eſt benignitate Dei. &
        - 2. Cum reuerentia accedit verſu 8. vide Nehemiah. 6.11.
  - Petitionem habentem membra tria
    - De Dauide hic vide duo: petitionis
      - Summam: vt Deum habeat ducem propter duas hominum ſpecies. verſ. 9.10.11. {Improborum. Piorum.}
      - Finem: vt gloria Dei propagetur, verſ. 10.
    - De improbis, verſ. 11.
    - De Eccleſia tota hic vide membra duo
      - Poſitionem, verſ. 12
      - Ætiologian, verſ. 13.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0150-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0151-5

Pſalm. eſt εὐκτικὸς, cuius partes ſunt 2.

- ἐπιγραφὴ complectẽs tria } Pſalmi ver. 1.
  - Vſum ibi, Magiſtro.
  - Genus ibi, Symphoniæ fidium ad grauem ſymphoniam.
  - Authorem ibi, Pſalmus Dauidis.
- πραγματεία habẽs partes duas
  - petitionẽ, cuius partes ſunt duæ
    - Deprecatio mali, id eſt
      - Iræ } 4. primis verſib.
      - Flagellorũ Dei } 4. primis verſib.
      - hæc deprecatio habet tria
        - Exordium verſ. 2.
        - Confir. à conſtitutione perſonæ ſuæ v. 3
        - Apoſiopeſin verſ. 4. ibi quouſque.
    - Petitio boni, id eſt,
      - Liberationis à verſ. 5.
      - Salutis
      - } Ad ver. 9. habẽs 2. cauſas quarũ prior eſt à
        - 1 Natura Dei habens
          - Exordium verſ. 5.
          - Cõfirma. à gloria Dei, verſ. 6. vide Pſ. 30. 10. 88. 19. 115. 17. 118. 17. Eſaiæ 38. 18.
        - 2. Sua perſona habens
          - Poſitionem ibi ver. 7. defatigor, &c.
          - Hyperbolen ibi facio vt patet verſ. 7. & 8.
  - Exultationẽ fidei, à verſu 9. ad finem vſque, cuius partes ſunt
    - Apoſtrophe ad inimicos illis opponẽs
      - Gloriationẽ fidei verſ. 9. ibi Recedite à me.
      - Veritatem Dei verſ. 10.
    - Epiphonema deſiderans inimicorum
      - Stupefactionem vel ſtuporem.
      - Confuſionem. verſ. 11.

# METHODVS PSALMI VII.

- Pſalmus eſt εὐκτικὸς καὶ διδασκαλικὸς habens partes generales duas.
  - Titulum cuius partes ſunt 4.
    - Genus ibi: ode varia.
    - Author ibi, Dauidis
    - Vſus ibi, quam cecinit Domino
      - (the three above:) Verſ. 1.
    - Occaſio ibi, ad verba Cuſchi qui fuit vel Schemei 2. Schem. 16. vel ex Schaulis aulicis vnus, vide 1. Schem. 22. 7. & 24. 10.
  - Materiam cuius partes ſunt 2.
    - Ardētiſſima oratio vſque ad ver. 11. pro
      - Liberatione ſui vſque ad verſum 9. quam vt impetret vtitur inſtrumentis
        - Theologicis
          - Fide, verſibus 2. & 3. ibi, ad te recipio me.
          - Teſtimonio bonæ conſcientiæ, & hanc cauſam tractat per
            - Theſin vel explicationem anteactæ vitæ verſib. 4. 5. vbi notatur Synecdoche, verſ. 4. ibi, in manibus, id eſt, in me. Et hæc explicatio ducitur
              - à
                - Viſitatione mali. verſ. 4. & 5.
                - Charitatis praxi, ver. 5. ibi: Quin eripui inſequentem me. &c.
            - Hypotheſin pœnę cui ſe dedit ſi huius criminis reus deprehendatur verſ. 6.
        - Rhetoricis
          - 1. Exclamatione verſ. 6. ibi. Sela.
          - 2. Repetitione orationis ver. 7. cuius partes ſunt duæ
            - Exordium mphaticum ibi: Surge Deus.
            - Cauſa finalis duplex
              - Proxima vt
                - Mali cohibeātur
                - Boni defendātur
                  - (both:) Ver. 7.
              - Præcipua propagatio Dei gloriæ in eccleſia verſ. 8.
          - 3. Amplificatione per Hyſteroſin à circumſtantijs habentibus v. 9. hęc 2.
            - Propoſitionem verſ. 9. ibi Iehouah iudicabit populos.
            - Petitionem ſingularem. ibi, ver. 9. iudica me Iehouah.
      - Euerſione mali verſ. 10. cuius partes ſunt duæ.
        - Cauſa duplex
          - Materialis, vt conſternantur improbi.
          - Finalis vt iuſti ſtabiliantur.
        - Confirmatio à natura Dei quòd ſit ſcrutator cordium.
    - Confirmatio prophetica cuius partes ſunt duæ:
      - Vſus fidei ver. 11. 12. duplex quod
        - Salutem recipit committens ſe Deo verſ. 11.
        - Malorum cruciatus à Deo immiſſos obſeruat verſ. 12. vide Deut. cap. 28. v. 25.
      - Conſequentia fidei, cuius partes ſunt duæ:
        - Quid euenturum ſit improbis à verſu 13. ad 18. quorum naturam deſcribit tribus allegorijs.
          - Militiæ verſ. 14. qua ſignificantur vires malorum.
          - Partus id eſt conſilia verſ. 15.
          - Foueæ id eſt fraudes verſibus 16. 7.
        - Quid pij facturi ſint pro liberatione ſua. verſ. 18.

*FINIS.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0154-2

# Typogr. Lectori.

*QVæres benevole lector, quibus cauſis motus, huic Dialecticæ Indicem adfixerimus: Verum ſi cauſas & rationes noſtras expenderis quæſtione tua ſuperſedebis. Cúm etenim ſingula præcepta continuo ſe ſequantur filo, nec ullis ſint interſtincta & variata capitibus, ut vulgó in dialecticis fieri ſolet libellis, rem tibi videbar facturus gratiſsimam, ſi totum huius libelli rationem* ἐν συνόψει *proponerem, ut unico intuitu, quid in hoc libro contineatur, & quo quidlibet loco tractetur, perſpicere poſsis. Id autē nulla ratione nec exactius, nec conciſius, nec melius fieri poſſe videbatur, quám ſingulis libri locis præcipuis per ſeriem Alphabeticam in Indicem congeſtis & redactis. Tu igitur pro tua humanitate lector benevole grato animo accipito, & ſaluus eo fruitor.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0157-9

# INDEX IN D. NATHA-
## NAELIS BAXTERI COLCE-
## ſtrenſis Dialecticam.


A

A Generalibus ad ſpecialia quomodo deſcendatur 88
Adiunctum 18
Adiuncti diviſio in receptũ & occuparum 18
Adverſa 24
Adverſorum diviſio ibid.
Adverſorum axioma ibid.
Affirmatum axioma 60
Analyſis 90
Analyſis quid & quotuplex ibid.
Analyſeos præcepta ibid.
An dialectica habeat certam materiam 2
An doctrina nominum logica ſit 39
An notationis doctrina ſit logica 40
An diſtributio fieri poſſit ex omnibus cauſis 43
An vera definitio tradi poſſit ſine differentia 49
An opinio certa eſſe poſſit in futuris 61
An ſint oppoſitiones ſeu cõtradictiones ſubalternæ 68
Antecedens pars ſyllogiſmi 73
An privatio ſit principium rerum phyſicarum 26
An qualitas ſuſcipiat contrarium 26
An duo poſſint uni rei opponi 23
An oppoſita poſſint eidem tribui ſecundum idem ad idem & eodẽ tempore 22
An idem effectum ſit diverſarum cauſarũ effectum 14
Argumentum quid? 73
Argumenti materia 3
Argumenti diviſio in inſitũ & aſſumptum 4
Argumenti diviſio in artificiale & inartificiale ibid.
Argumentum inſitum quid ibid.
Argumẽtum primum quid & quot 5
Argumentum á primo ortum 5
Argumentum ſimplex ibid.
Argumẽtum conſentaneũ 5
Argumentatio á maiori 33
Argumentatio á minori ibi.
Argumenta á primis orta 38
Argumentationis an quinq; ſpecies 73. 74
Ariſtoteles erroris arguitur 21
Ars quid? 1
in Artis definitione cur particula dene adiiciatur ibid.

Artes quomodo perfecte definiri cœperint 2
Aſſumptio 73
Axioma quid 9
Axiomatis partes 59
Axiomatis affectio 60
Axiomatū contradictio ibi.
Axiomatis ſpecies 65
Author Dialectices Deus 1
Authores partitionis Dialecticæ in iudicium & inventionem qui? 3

C

Categoricus ſyllogiſmus 75
Categoriæ logicæ inventionis 6
Cauſa quid 6
Cauſarum diviſio in internas & externas 6
Cauſarum doctrina tota 6. 7. 8. 9. 10
Comparata 27
Comparatorum partes 27
Comparatorum axioma ibi.
Comparatio duplex 28
Compoſitum axioma 68
Compoſitus ſyllogiſmus 83
Cōditionalis ſyllogiſmus 84
Confeſſio 56
Congregatiuum axioma 69
Coniugatum 39
Coniugata á quibus primis argumentis oriantur ibi.
Connexum axioma 69
Conſequens pars ſyllogiſmi 73
Contingens axioma 61
Contraria 22
Contrariorum diviſio 23
Contraria affirmantia ibi.
Contraria negantia 25
Contradicentia ibid.
Contradictio 67
Copula 65
Cur non ſit legitima diviſio quæ ſit in plures quā tres partes 41. 47

D

Definitio 18
Definitio perfe&a ibid.
Definitionis perfectæ partes 48
Definitio imperfecta 51
Definitionis exempla 50. 51
Deſcriptio 51
Deſcriptionis exempla 52
Deſcriptio unde conficiatur 52
Dialectica quid 1
Dialectices uſus 1
Dialectices author ibid
Dialectices partes duæ 3
Dialectices materia 2
Dialectices forma 2
Dianoia 71
Differentia 49
Differentia unde dicta ibid.
Differētia & forma an idem 49
Dilemma an ſyllogiſmus 86
Dilemma ſitné ſyllogiſmus connexus compoſitus, an diſiunctus 85
Diſiunctivus ſyllogiſmus 86
Diſiunctum axioma 70
Diſcretum axioma 70



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0159-4

Diſſentanea argumenta 20
Diſſentaneorum uſus 21
Diſſentaneorum diviſio ibi.
Diſparata 22
Diſſimilitudinis notæ 34
Diſſimilia 36
Diſtributio 41
Diſtributio enunciatorũ 41
Diſtributio axiomatum 42
Diſtributio duplex ibid.
Diſtributio ex cauſis 42
Diſtributio ex effectu 43
Diſtributio ex ſubiectis 46
Diſtributio ab adiunctis 47
Diverſum 21
Diviſio & partitio quomodo differant 42
Diviſio ſubiecti in accidentia 47
Doctrina de motu Logicáne ſit an phyſica controvertitur 13

E

Efficiens quid 7
Efficientis diviſio in generãtem & corrumpentẽ ibi.
Utriusq; & generantis & corrumpentis ſubdiviſio ibid.
Efficientis diviſio in ſolitariam & ſociam 8
Efficientis diviſio in cauſam per ſe & per accidens 9
Effecta 13
Effecti appellationes ibid.
Effecti diviſio in internum & externum 14
Enunciatum 59
Enthymema 73
Enthymema an argumentationis ſpecies 74
Examen diviſionis quantitatum in continuas, & diſcretas 29
Examen definitionis Rameę ſyllogiſmi hypothetici 74
Exemplum an argumentationis ſpecies 74
Extremæ cauſæ 7.8.9.10

F

Figuræ ſyllogiſmorum
Prima 82
Secunda 79
Tertia 76
Finalis cauſa ſeu finis quid 10
Finis eſt vel ſumm⁹ vel ſubordinatus 10
Forma quid 12
Formæ proprium officiũ 12
Formæ diviſio ibid.
Forma ſubſtantialis an poſſit cognoſci 13

G

Geneſis quid 91
Geneſis quotuplex ibid.
Generalis axiomatis notæ 66
Generale axioma ibid.
Genus 43
Genus generaliſſimũ & ſubalternum 44
Genus ſubalternum duplex 44
Genus & integrum an idem ibidem.

Genus & ſpecies ex quibus argumentis oriantur 46
Genus proximum & differentia vltima quomodo inueniatur 49

H

Homo in qua categoria 50
Hominis genus proximum & differentia ultima quomodo iueniatur ibid.
Hypotheticus ſyllogiſm' 83
Hypotheticus ſyllogiſmus connexus ſeu conditionalis 85
Hypotheticus diſiunctus ſeu diſiunctiuus. ibid.

I

Imitaio 91
Imitationis cautelæ ibid.
Imparia 31
Imparium axiomata ibid.
Imparium diuiſio 31.32
Imperiti partitores 41
Indefinita propoſitio 66
Indefinita propoſitio an ulla ſit ibid.
Inductio 36
Inductio an argumentationis ſpecies 74
Internæ cauſæ 11
Integrum 43
Inuentio 3
Iudicium an pars dialectices peculiaris 3
Iudiciũ, id eſt, diſpoſitio ib.
Iudicium quid 58
Iudicium & diſpoſitio an idem 58
Iudicium axiomaticum 59
Iudicium dianoëticum 71
Iuſtitia in qua categoria 51
Iuſtitiæ genus proprium & differentia quomodo inueniatur 51

K

Κατὰ παντὸς quid 62
Καθ᾽ αὑτὸ ibid.
Καθ᾽ ὅλου πρῶτον ibid.
An ſecundum has tres leges omnium præcepta artium deſcribi ſit neceſſe 62
An tres facultates his tribus legibus neceſſario indigeant: vel ex his conſtent 63
An hæ tres leges á Chriſto in ſua precandi formula, Math. 6. ſint obſeruatæ 63
An preces legem κατὰ παντὸς requirant 65

L

Leges ſcientiarum 62
Legitima diuiſio quæ ſit 42
Legum harum author ibid.
Lex κατὰ παντὸς vbi in theologia inueniatur. 63

M

Maiora imparia 31
Maiora paria ibid.
Maiorum notæ 32
Maiorum axioma ibid.
Materia quid 11
Materiæ Logicæ & Phyſicæ diſcrimen 11
Materia triplex 12
Membrum 43
Methodus 88
Methodus perfecta ibid.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0161-1

Methodus imperfecta 89
Minora imparia 32
Minora ex quibus notis percipiantur 32
Minorum axioma 33
Minus explicitum 33
Minus implicitum 32
Minus ineſſe quid ſignificet? 32
Modi definiendi duo 50
Modi cõtracti ſyllogiſmi ſeu tertiæ figuræ 77
Modi primæ ſpeciei ſyllogiſmi expliciti ſeu ſecundæ figuræ 80
Modi ſecundæ ſpeciei ſyllogiſmi explicati ſeu primæ figuræ 42
Modi ſyllogiſmi connexi ſeu conditionalis 85. & 86
Modi ſyllogiſmi diſtinctiui duo 86.87

N

Neceſſarium axioma 61
Negatum axioma 60
Nomen 38
Notæ quibus diſcernitur diuerſum ab oppoſito 21
Notatio 40
Notatio ex quibus argumentis primis oriatur 40

O

Obiectum 17
Obiectio, quod oppoſita poſſint tribui eidem ad idem & eodem tempore 22
Obiectio quod oppoſita non ſint cõtraria, quorũ vnum vni opponitur tantum 23
Oppoſitorum axioma 22
Oppoſita ibid.
Oppoſitorum diuiſio 22
Orationis dominicæ analyſis 64

P

Paria 29
Parium notæ 30
Parium argumentum 29
Parium axioma 30
Pars 41
Particulare axioma 67
Particularium & ſingularium propoſitionum vis 81
Præcepta analyſeos 91
Prædicabilia cur omittantur ab authore 6
Prima figura ſyllogiſmorum Ariſtotelica 82
Prima figura quare Ramo tertia Ariſtotelica 82
Priuantia 26
Prius dicitur aliquid quinque modis 6
Promiſſio 56
Propoſitio particularis 66
Propoſitio 73
Propoſitiões ſingulares vim habent vniuerſalium in concludendo 80. 81
Propoſitio ſyllogiſmi vnde ſumatur 75
Propoſitionũ diuiſio in dialecticam & apodicticam 3
Proprium axioma 68
Proſyllogiſmus 73
Propoſitio maior & minor 73

Q

Quæſtio libera 91

Quæſtio duplex 3. 72
Quæſtio ſimplex 4
Quæſtio coniuncta ibid.
Qualitates 19
Qualitates propriæ vel communes ibid.
Qualitatis comparatio 34
Quantitatis comparatio 28
Quantitates ſuſcipere contraria probatur 28. 28
Quantitas parium & imparium 28
Quantitatis diuiſio in continuā & diſcretā vitioſa 29

R

Rationale an propria & vera differentia hominis 49
Reciproca 31
Regulę effectorū quatuor 14
Regulæ argumentandi à genere ad ſpeciem 45
Relata 23
Relatorum natura 24
Relatorum uſus ibid.
Reſolutio virtutum & vitiorum 90
Rodolphus erroris arguitur 12

S

Scientia 61
in Scientiis quot conſiderāda 62
Segregatum axioma 69
Similia 34
Similium uſus 34
Similitudo duplex ibid.
Similitudinis incluſę notę 34
Similitudo explicata duplex 35
Simplicis ſimilitudinis axiomata 35
Similitudo multiplex 36
Simplex axioma 65
Sorites an argumentationis ſpecies 74
Soritę reſolutio in puros ſyllogiſmos 74
Speciale axioma 67
Species 45
Species ſubalterna ibid.
Species ſpecialis 46
Speciei axiomata 46
Subiectum & prædicatū 59
Subiectum 15
Subiecti diuiſio in proprium & commune 16
Syllogiſmus 72
Syllogiſmi definitio Ariſtotelica falſa 72
Syllogiſmi partes 73
Syllogiſmus ſimplex ſeu categoricus 75
Syllogiſmus affirmatus 76
Syllogiſmus negatus ibid.
Syllogiſmus generalis 76
Syllogiſmus ſpecialis ibid.
Syllogiſmus proprius 76
Syllogiſmus ſimplex contractus ibid.
Syllogiſmi cōtracti modi 77
Syllogiſmus ſimplex explicatus 79
Syllogiſmorum figura Ariſtotelica ſecunda 29
Syllogiſmi proprii quorſum conducant 81
Syllogiſmi explicati prima ſpecies 80

Syllogiſmi explicati altera ſpecies 81

T

Tertia figura ſyllogiſmorũ 76
Teſtimonium 52
Teſtimonium diuinum 54
Teſtimonium humanum 55
Teſtimonium vnde ſumatur 54
Teſtimonium ab adiũctis 56
Tria requiruntur in definitione 18
Totum 41

V

Verum axioma 61
Vinculum propoſitionis 60
Vitia diſtributionis 41
Vniuerſalis propoſitio 66
Vocabulorum, quæ modis ſyllogiſmorum præponũtur examen 78
Vſus definitionis 48
Vſus Logicæ 90
Vſus teſtimonii 52

FINIS.

46 18/i,11

AB 46 18/i,11

X 2199879

Sb.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0165-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0166-9

ÆSTIONES ET
RESPONSIONES

# P. RAMI
# LECTICAM.

Auctore
THANAELE BAXTE-
COLCESTRENSI.

SSIT PRÆTER
CATEGORIARVM ET
um Tabulas P. Rami Index
locupletiſſimus.

TIO TERTIA.



ANCOFURDI
Joannem Wechelum.
MDXCIII.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-471970-p0167-5